GESNER'S
ICONES
ANIMALIUM

1560



G·H·SAVAGE, M·D·

E·LIBRIS

Reade me with the Eyes o'the Minde
The Goode is in mee see thou Finde
And sith Bookes be but worke of Manne
The Evill in mee looke thou banne

G·H·H·1877

This is the 2nd ed. Zurich 1550

The t.p. of the 3rd ed. does not belong to the bk.

J. Amson.

ICONES ANIMALIVM QVADRVPEDVM VIVIPARORVM ET OVIPARORVM, QUÆ IN HISTORIÆ ANIMALIUM CONRADI GESNERI LIB. I. ET II. DESCRIBUNTUR,

CVM NOMENCLATVRIS SINGVLORVM LATINIS, GRAECIS, ITALICIS, GALLICIS, ET GERMANICIS plerunque, & aliarum quoque linguarum, certis ordinibus digestæ.

Editio Tertia.

Novis Eiconibus non paucis, & paſsim nomenclaturis ac deſcriptionibus auctior.

Le figure de gl' Animali quadrupedi d' ogni ſorte.

Les figures & pourtraicts des beſtes à quatre pieds de toutes ſortes.

Die figuren vnd contrefacturen von allerley vierfüſſigen Thieren.

Accedunt & Indices ſecundum diuerſas linguas in fine libri.



HEIDELBERGÆ,

E Typographeio Iohannis Lancelloti, Impenſis ANDREÆ CAMBIERI.

Anno M DC VI.

SERENISSIMÆ ELIZABETHÆ, DEI GRATIA REGINÆ ANGLIÆ, FRANCIÆ ET HYBERNIÆ, &c.

Dominæ suæ clementissimæ, S. & Felicitatem à Deo Opt. Max. precatur Conradus Gesnerus Tigurinus.

HVNC *librum, cùm ante septennium ferè primùm ederetur, serenissima Regina, illustrissimi Suffolchiæ ducis Henrici Gray piæ memoriæ fratribus inclytis, dedicabam. Sed tum temporis non placuit Deo, ut ad eos in Anglia adhuc viventes perveniret. Quamobrem hanc secundam editionem, multò jam locupletiorem, ne sine illustris alicuius nominis patrocinio, ceu posthuma quædã pupilla appareret, tuæ Maiestati offero atq́ consecro. Tanta enim est virtutum tuarum gloria, tantus pietatis syncera ardor, tanta ingenii dexteritas, eruditio, & in linguis diversis, Græca etiam Latinaq́, peritia singularis: quibus cunctis non solùm omnem nostri sæculi muliebrem sexum, sed ipsos etiam reges atq́ principes, & ex privatis plerosq́ doctrina celebres viros, summa omnium admiratione, antecellis: Tantus inquam gloriæ ac famæ tuæ splendor est, ut librum hunc Angliæ omnino à me destinatum (propter gentis vestræ multorum hominum multa ac recentia in me beneficia, ac meum erga illos, ut merentur, amorem officiumq́ gratitudinis) non debuerim alteri, quàm totius Regni supremo capiti, hoc est, Maiestati tuæ nuncupare. Sic enim universis & singulis quodammodo aliqua ex parte satisfacere mihi videor. Scio autem omnes bonos & eruditos viros, quorum Dei gratia ingens in regno tuo numerus est, Maiestatem tuam adeò amare, venerari & colere, sicuti par est, ut ab externis etiam hominibus laudes tuas celebrari, ac tui honoris famam illorum lucubrationibus per orbem terrarum diffundi, libentissimè cognoscant. Suscipe igitur serena hilariq́ fronte, clementissima Heroina, hos Quadrupedum animantium Ordines: quibus aliquando inspiciendis animum gravissimis Regni negotiis intentũ remittas, & jucundissimo hoc Naturæ spectaculo oblectes. Quod quidem non per se modò honestum & liberale est: sed ad Dei etiam optimi maximi, nostriq́ & aliorum hominum pleniorem cognitionem nonnihil conducit. Nam ad Dei notitiam in nobis excitandam atq́ promovendam, ex omnium & quarumvis huius Vniversitatis rerum inspectione, pia de opifice cogitatio animos nostros subire & debet & solet: in primis verò cum Hominis (qui veluti exiguus quidam Mundus est, & ut corpore terræ, aliorumq́ tum elementorum, tum ex eis constantium rerum, ita animo Dei imaginem repræsentat) naturam consideramus. Itaq́ huius etiam parentem dicimus Deum: cæterorum opificem tantùm. At inter hominem & cætera Dei opera, medium ferè locum animantibus quæ ratione carent attribuimus: harum autem præcipuæ sunt Quadrupedes: adeò ut illis inter ea quæ ex elementis mixta sunt, ita primum tribuamus ordinem: quemadmodum inter ipsa elementa aut simplicia corpora cœlo. Fecit autem hæc omnia Deus in usum hominis, ut serviant aut subjiciantur ei omnia, sive natura & jussu Dei perpetuò, ut elementa, cœli, & corpora inanima: sive sensu aliquo: idq́ vel sponte, ut animalia quæ cicurari possunt: vel per aliquam vim, ut reliqua, quæ variis modis capere, venari, & in usus suos convertere solet: quemadmodum etiam puri tum spiritus tum homines ultro serviunt Deo, impuri verò coacti & renitentes. Iam cum Deus non hæc solùm, quæ in hoc visibili mundo sensibus nostris se ingerunt, in solius hominis gratiam fecerit omnia: sed spiritus quoq́ & angelos invisibiles, hominibus præsertim piis custodes ac tutelares, impiis verò ultores constituerit: demq́ unigenitum filium suum in generis humani salutem, hominis formam assumere, & acerbissimam mortem subire voluerit: decet omnino & par est, ut Deum etiam solum, in omnibus actionibus & cogitationibus suis sibi proponat homo, eumq́ unicum pro summo & incomparabili bono tum suo tum rerum omnium, agnoscat, adoret, invocet, amet, & collaudet perpetuò: nec ullas prorsus res creatas ullo modo divini honoris, invocando vel adorando, participes faciat. Nam sicut unus in cœlo Sol est, dictus ab eo quod solus sit, & una eius imago Luna, non suo, sed Sôlis lumine lucida: ita*

Dedicationis occasio.

Naturæ, præsertim Quadrupedum, considerationem, cùm per se honestam esse; tum verò utilem. 1. Ad cognitionem Dei.

solus idemq; summus cœlorum & universæ Naturæ dominus, Deus est, à quo vim suam, quamcunq; habet, omnem mutuatur Natura, hoc est, quicquid factum, natum aut creatum est: proprium verò nihil habet. Hæc qui non agnoscunt, Deum profectò non agnoscunt. Præterea cum tot animalium generibus à Deo conditore tam pulchrè & abunde prospici videmus, ut quantum natura & necessitas singulorum postulat, nulli eorum inter tot myriades, quod ad cibum, potum, vestitum, habitationem, & alias res, quicquam desiderari possit: an non existimabimus (non jam verisimiliter, ut vulgus hominum, sed firma & indubitata quam à nobis requirit fide) eundem qui suis operibus tam benignè prospexit, multò magis hominibus, quos filiorum nomine dignatur, quantumcunq; eis utile aut necessarium sit, consulturum ac suppeditaturum? At miseri mortalium plurimi non pro victu tantùm & vestitu suo anxij solicitiq; sunt, hoc est, Deo non satis confidunt: sed insuper avari, & aliis hominibus iniurij, ipsis etiam bestiis hac parte ut deteriores, ita infeliciores. quanvis enim harum nonnullæ sui victus causa noceant aliis, præsentem tamen solùm famem explere, non in multos dies aut annos aliquid reponere cupiunt. Illi verò cum Deo suo non fidant, & ipsa solicitudine dubitationem suam ac diffidentiam prodant, digni sunt qui quandoq; rebus necessariis priventur, aut (quod Tantalo accidit) præsente etiam copia non fruantur. Hactenus dixi, (&) quidem prolixiùs quàm institueram,) Animantium naturæ considerationem, ad uberiorem Dei notionem deducere nos posse.

II. Ad notitiam sui cuiq;, & virtutum exempla. A corporis forma seu capitis situ.

Restat, ut quodammodo nostri quoq; & aliorum hominum cognitio inde in animis nostris promoveatur, ostendam. Primum igitur quod ad nos, quoniam per comparationem omnia magis innotescunt, conferamus nos ipsos cum cæteris animalibus. Corpus igitur hominis, quod ad materiam, partes & organa, id est actionum instrumenta, nihil ferè ab aliis differt: unde colligimus, mentem (qua proximè ad angelos accedimus, & post illos rebus omnibus præstamus: & cuius ratione ad conditoris nostri exemplar facti sumus) vim esse multò præstantiorem illis animæ viribus, quæ organo indigent, & corpori alligantur, adeò ut separari non possint. Ipsa verò corporis nostri forma & statura, quoniam erecta est, à plerisq; omnibus differt: ita ut caput sursum ad cælum, hoc est, summam Universi partem spectet: (id autem propter oculos & visum maximè factum est,) admonet nos officii nostri, cuius pulchrè meminit poeta his versibus:

> *Pronaq; cum spectent animalia cætera terram:*
> *Os homini sublime dedit, cœlumq; tueri*
> *Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.*

Non solùm autem corporis oculos ad cœlum, sed multò magis contemplantem omnia animi aciem à terris aversam, ultra ipsos etiam cœlos adusq; conditorem, primumq; motorem eorum, extendere oportet. nam corporeis oculis cætere quoq; animantes cœlum aliquando aspectant, piscis quidem Uranoscopus semper.

A moribus, ingenii, & actionibus aliorum animalium.

Deinde si virtutes, aut potiùs mores & actiones aliorum aliquot animalium cum humanis comparemus, imbecillitatem nostram & degenerem naturam facilè agnoscemus. Multæ enim animantium, bonas & secundum naturam laudabiles actiones, (quæ in homine à ratione consilioq; profectæ virtutes appellantur,) ipso naturæ instinctu, multò perfectiores plerisq; hominibus edunt. In contemplandis certè animalium moribus, ut scribit vir doctissimus Theodorus Gaza, exempla nobis suppetunt omnium officiorum, & effigies offeruntur virtutum, summa cum authoritate naturæ omnium parentis, non simulatæ, non commentitiæ, non inconstantes & labiles: sed verè ingenuæ atq; perpetuæ. Nec ulla pars vitæ humanæ est, quæ non suorum officiorum exempla commodissimè hinc accipiat.

Circa prudentiam aut providentiam, industriam, docilitatem.

Iubet nos dominus Christus prudentiam serpentium, simplicitatem verò Columbarum miscere: ne illa nimirum in astutiam, hæc verò in stoliditatem abeat. Insignis est Gruum, Apicularum, Murium alpinorum, Melium, Sciurorum, Castorum, & aliorum animalium ingenij vis, qua victum sibi comparant aut recondunt, loca & regiones mutant, domicilia parant, insidias struunt aut fugiunt, & alia quædam cautè provideq; agunt. Mira avium quarundam ad vocis humanæ imitationem: Canum vero & Simiarum, ad varias hominis actiones, docilitas. Disciplina & eruditio Elephanti, quem non faciat studiosiorem? Quis tam perversa natura hostis sui generis est, quin emendetur & mitigetur, cum nullum animal occidi à sui generis bestia videatur?

Circa justitiam, & ejus partes.

Magnus in plurimis suorum gregalium amor est, tum mansuetis, ut Bobus, Ovibus: tum sylvestrium plurimis in omni animalium genere: mirus præcipuè in elephantis. Quid de justitia Apum dicam, quæ colligunt quidem ex iis quibus aliquid dulcedinis inest, sed sine ullo fructuum detrimento? Quæ fides, quis amor in Canibus? agnoscunt nomina sua, advolant, serviunt, faciunt imperata, ad mortem usq; domino, à quo ne verberibus quidem aut iniuriis repelli queunt,) aliquando etiam funeri fideles. Fidelissimi (inquit Plinius) ante omnia animalia homini Canes atque Equi. Quis principem bonum non colat atque observet, cum si rex Apum in itinere aberraverit, omnes eum inquirere, odoratuq; sagaci persequi, donec invenerint, cognitum habeat: gestari etiam regem à plebe, cum volare non potest: &, si perierit, omnes discedere? Nunquid parum hinc exempli ad boni principis sive desiderium, sive observantiam datur? Quis tam in parentes impius, ne cum Ciconiæ avis aut Meropis, & Leonum ac Elephantorum, pietatem erga parentes intelligat, pientior efficiatur? Quis adeò inhumanus illiberalisq; est, quem Ossifragæ benignitas in pullos alienos (ut nihil dicam de omnium in prolem propriam amore) ab Aquila eiectos, non faciat benigniorem?

Circa temperantiam libidinis, & iræ ferociæque.

Percelebris est Elephanti castitas, & adulteriorum detestatio: sicut & in Porphyrione. Columbarum & Cornicum fida coniugia quis nescit? Anseris quædam verecundia commendatur.

datur. Mite est ingenium Boum, remissum, & minimè pervicax: agnoscunt vocem bubulci, vocatiq; nominibus propriis intelligunt, & iussis parent. His etiam mitiores Oves: quarum simplicissima innocentia, & ad parendum facilitas, admirationem homini movet. Sed magis mira sit in Elephantis tanto robore, & Camelopardalis tanta excelsitate, eximia mansuetudo. Strenuum & animosum jumentum Equus est: sed rectoris imperio se submittit. Iracundior Canis: sed in eos qui se subsidentes demiserint, clemens. Quis princeps non ad clementiam facilè invitetur, cum reges Apum armari quidem aculeo, sed eo nunquam uti intelligat? Quantum studium ornatus ac politurӕ in Pavone? Quanta opera vocis amœnӕ suavisq; in Luscinia? Quem non pudeat per metum peccare, cum non solùm Leonis animum invictum cogitat: sed etiam Reguli aviculӕ, quӕ cum Aquila pugnat, certatq; de imperio? Leo forte magis, & animosum, quàm crudele est animal: magnanimum, liberale, ingenuum, & (ut authores quidam referunt) mite, iustum, nec expers amoris erga illos quibus cum versatur. Quis tam piger, iners & segnis est, quin excitetur ad vitӕ munera, cum Formicarum aut Apum labores atque industriam intuetur? Sed hӕc & huiusmodi singillatim enarrare, nimis prolixum foret. Satis hoc esto, nativa virtutum officiorumq; omnis generis exempla (& veluti naturalem quandam de moribus philosophiam) hominem in diversis animalibus reperire: quibus seipsum corruptӕq; naturӕ suӕ infirmitatem agnoscat, plerisq; brutorum inferiorem se animadvertens: hoc uno forsan plerumq; superiorem, quòd sua ipse vitia noscens fateatur.

Circa fortitudinem & laborum tolerantiam.

Agnita autem & damnata infirmitate atque corruptione sui, Dominum Deum, unum omnium bonorum [sive per naturam, sive per voluntatem, sive etiam absque omni medio] authorem, ut primӕ conditioni, hoc est, perfectioni, in qua primus homo creatus est, ipsius gratia [quӕ per solum dominum Iesum Christum nobis prӕstatur] se restituat, toto animo assiduè orabit. Cӕterùm quod tertio loco propositum erat, alios etiam homines, hoc est, diversa hominum ingenia, collatione ad bestias facta, magis dignosci: eâdem ferè via & ratione intelligi potest, qua quisq; seipsum ex illorum naturӕ contemplatione meliùs agnoscit.

III. Ad alios quoque homines noscendos ac dignoscendos.

Nam sive seipsum, sive alios videat bonos alicuius animantis mores referre, ut mansuetudinem Ovis, castitatem Elephanti, pietatem Ciconiӕ, laudabit: sin malos, vituperabit: ita ut stolidos, inertes ac socordes homines, Asinis: libidinosos & voraces Porcis: astutos & versipelles, Vulpibus, Felibus: insidiosos & crudeles, Pantheris: timidos Cervis, impudentes Canibus, & alios aliis comparet. In bestiis quidem istis vitiorum turpitudinem nobis Deus, tanquam in speculo, ut nosceremus ac fugeremus, proposuit: sicuti liberis suis ebrietatem in servis Lacedӕmonii solebant. Physiognomones certè prout animantium quorundam similitudo, & eӕdem corporum notӕ, in facie aliáve parte hominis apparent, de moribus quoq; & ingenio cuiusq; coniecturam faciunt, eamq; ut plurimùm non vanam, nisi doctrina & disciplina naturam, sicuti in Socrate, vicerit.

Physiognomonia.

Hӕc & huiusmodi, optima & doctissima Regina, picturis hisce Animalium contemplandis, Maiestati tuӕ in mentem venire poterunt: Mores quidem & ingenia pingi non possunt: sed corpus cuiq; adeò suis moribus & ingenio aptum appositumq;, per naturam largitus est Deus: ut plerumque ex ipsa facie, aut specie corporis eiusq; partibus, qualis cuiusq; natura sit, coniectare liceat. Quòd si etiam Anglica nomina adscribi singulis volueris M.T. viro alicui erudito id committet.

Viri eruditi in Anglia.

Inter cӕteros autem mihi notos facillimè id prӕstiterit Iohannes Parckhurstus, (qui persӕpe mihi virtutum tuarum laudes amplissimè prӕdicavit:) aut Guilielmus Turnerus, Io. Caius medicus longè doctissimus, Io. Falconerus, viri ut omnibus bonis artibus & scientiis, ita naturӕ cognitione prӕclari. Nam Guilielmus Cecilius, qui à secretioribus libellis M. tuӕ est, vir prudentia, gravitate aliisq; virtutibus illustris, ac omnium literarum genere literatissimus, maiora & ad Regni totius administrationem pertinentia negocia subinde tractat, quàm ut ad hӕc rerum Naturӕ studia, utcunq; pulcherrima, divertere possit. Porrò ne quis inconstantiӕ me accuset, & ut meus erga heroes illos, illustrissimi Suffolchiӕ ducis piӕ memoriӕ fratres, ac totam illam familiam, animus appareat, epistolam in ipsorum olim nomen inscriptam, virtutis & honestissimӕ ipsorum famӕ testimonium, ad huius Libri finem retuli. VALE serenissima Heroina. Dominus noster Iesus Christus, ӕternus Dei filius, M. tuam cum toto Regno spiritu ac verbo suo incolumem perpetuò conservet ac gubernet. Tiguri Helvetiorum urbe primaria. Idibus Iunij. Anno Salutis nostrӕ M. D. LX.

ΕΙΣ ΕΛΙΖΑΒΕΤΗΝ ΤΩΝ ΜΕΓΑΘΥ-ΜΩΝ ΑΓΓΛΩΝ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ ΤΗΝ ΠΑΝΤ.

Οἵη Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα:
Τῇ δέ θ' ἅμα Νύμφαι κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο:
Πασάων δ' ὕπερ ἥγε κάρη ἔχει, ἠδὲ μέτωπα:
Ῥεῖα δ' ἀριγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι.
Ὣς καὶ ΕΛΙΖΑΒΕΤΗ Ἄγγλων βασίλισσα φερίστη.
Πασάων ἄλλων νικᾷ βασιλήϊον εὖχος.
Ταύτῃ παμβασιλεὺς ΘΕΟΣ ὄλβια πάντα διδοίη,
Εὐτυχίην, νίκην τε, καὶ εὐσεβίην διὰ μακροῦ
Ἀσκῆσαι βιότου: καὶ νυμφίον ἄνδρα γενέσθαι,
Εὐνάρετόν θ' ἥρωα, πολέων ἀντάξιον ἄλλων,
Καλῶν τε ῥητῆρα λόγων, πρηκτῆρά τε ἔργων:
Ἀσκηθῆ τ' ὑγίειαν ἔχειν ψυχήν τε δέμας τε:
Καὶ παῖδας παίδων πολλαῖς γενεῇσιν ἀνάσσειν:
Καὶ ποτε ἀθάνατον ζωὴν μετὰ Χριστοῦ Ἰησοῦ,
Ἐν γενετῆρος ἑοῦ μεγάροις ὑπερουρανίοισι.
Τὸν καὶ δοξάζειν θνητοὺς διὰ παντὸς ἔοικε,
Καὶ μεγαλοσθενέτην ἀναμέλπειν ποιμένα κόσμου:
Ὅς γαῖαν χλοερήν τε, καὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔτευξε:
Δένδρα τε τηλεθόωντ', ὀρέων τε ἀγάννιφον αἴγλην:
Κέδρους ὑψιτενεῖς, καὶ ἀκρόδρυα, πᾶσαν ὀπώραν:
Τετραπόδων τ' ἀγέλας, μήλων γένος, ἠδὲ λοφούρων:
Καὶ βοῦς εἰλίποδας, καὶ ὀρέστερα θηρία γαίης:
Εὐκεράους τ' ἐλάφους, καὶ δορκάδας, ἠδὲ λαγωούς:
Ἀρκτόμυάς τε, καὶ ἄλλα τὰ μείονα κνώδαλα γαίης:
Ἑρπετὰ, καὶ πτερύγεσσι μεταίσσοντα ποτητὰ,
Ἔντομα πολλὰ: γένος τ' ὀφίων θνητοῖσιν ἀπηνές:
Ἠερίους τ' ὄρνιθας, ἰδ' ὑδατοθρέμμονας ἰχθῦς.
Τῷ καὶ κυδαίνειν αὐτὸν χρὴ πάντοτε πάντας.

Con-

Conradus Gesnerus Lectori S.

AD SECVNDAM hanc editionem, optime Lector, tum Icones Quadrupedum novas non paucas, addidi, tum nomina & descriptiones: & priùs etiam publicatis Iconibus multa passim adscripsi, pleraque nova: pauca verò ex iis quæ in Historia eorum continentur, repetivi: idque certam ob causam: sicuti pluribus indicavi in præfatione libri Nomenclatoris Aquatilium: cujus editio prima hoc tempore prodit. Velim autem ab harum rerum studiosis in unum Volumen conjungi Iconum Quadrupedum & Avium editiones secundas, Aquatilium verò primam ac novam: qui tres libri omnes hoc anno Salutis Christianæ M. D. L X. typis excusi sunt. Rarioribus quidem & peregrinis Quadrupedum, descriptiones copiosiores adjeci: communioribus nihil aut parum plerumque (nisi prorsus novi aliquid esset) præter ipsa nomina. Asino tantùm & Sui Hieroglyphicas quasdam interpretationes addidi, spacia chartæ replendi consilio, cum iis omnino locis, non priùs aut posteriùs, horum Quadrupedum figuras collocari vellem. Hieroglyphicæ autem significationes ipsis animalium Iconibus commodissimè adduntur: &, si non data opera brevitati studuissem, singulis, aut plerisque animantium, ex doctissimis hujus argumenti Pierii Valeriani commentariis, summatim Hieroglyphica quædam adscripsissem. Sed isti superioribus annis Basileæ Isingrinii prælo excusi, hominis philologi Bibliotheca dignissimi, facilè ab omnibus haberi possunt.

Quòd ad Icones: agnosco non omnes optimè pictas: non mea tamen culpa: qua de re nunc dicere tempestivum non est. Mediocres quidem sunt pleræque, & tolerabiles: quandoquidem his meliores (De quadrupedibus loquor) hactenus publicatæ non sunt. Fictitiæ verò, ut quidam suspicatur, nullæ sunt: vel si quæ sunt, non approbantur à me, sed notantur aut reprehenduntur: ut Olai Rangifer, aliaque pauca in Quadrupedibus, in Aquatilibus plura: & Salamandra quorundam, &c. Quòd si quæ ipse non pinxi (id est, pingenda curavi) ad vivum, authores citavi à quibus acceperim, aut quorum è libris mutuatus sim. Paucas quasdam in hac editione accuratiores dedi, relictis tamen etiam veteribus: ut ex collatione appareat illas quoque non omnino malas neque fictitias esse: ut Alcis, Lyncis, Felis Zibethi. Objicit mihi bonus quidam vir, (bonum appello, animi & habitus, quem in eo esse non dubito, respectu: neque enim statim malus est, qui alicui injuriam facit præ iracundia, aut vindictæ studio, aliáve causa quæ veniam mereatur, si non ut plurimùm & consultò talis fit:) objicit inquam, Gulonem, Lupum Scythicum, Camelopardalin, Cricetum. Atqui authores unde acceperim nominavi in singulis, si non in prima editione Iconum cum nomenclaturis editarum, saltem in Historia priùs evulgata, ad quam Lector in ipso Libri titulo remittitur. Ponticum etiam Murem fictum à me dicit: cum ego pro Mure Pontico Sciurum me posuisse, colore tantùm differentem, profitear. Sciurum verò frequentissimum nobis animalculum, fingi quid opus erat? Putorius forsan non qua debuit aut fieri potuit diligentia & arte à pictore sculptoreq; nostris expressus est: idcircò ne fictus erit? non magis puto quàm homines deformes, ficti non sunt. Sphingem quoque finxisse me ipse sibi fingit: in libris enim nostris nulla reperitur. Deniq; Damam Plinii: cujus imaginis authorem nominavi Io. Caium Anglum medicum, virum doctrina, judicio, fide & diligentia summum. Quòd si is ipse nullas herbarum imagines ab amicis missas ponere voluisset, in suis, quibus Dioscoridis libros illustrat commentariis, plurimis & rarissimis sanè destituerentur. Fieri non potest ut unus homo diversas Orbis regiones adeat, & quæ singulis peculiaria sunt ipse videat. Acquiescendum est illis quæ miserint amici: quamvis non optimè aliquando expressis. Falsas etiam vel prorsus vel aliqua ex parte imagines, illatum rerum, quarum veras adhuc nemo dederit, exhibere, modo nominato authore & nulla dissimulatione id fiat, non est inutile: sed occasio ad inquirendas ab aliquibus, aut communicandas ab iis qui jam habent, veras. Hoc consilio, & hac confessione, si Aconiti primi & Siluri sui icones nobis dedisset ille, nihil dubitatione aut reprehensione nostra opus fuisset. Hæc equidem invitus publice scribo: neque de rebus ipsis adeò contenderem, (quanquam harum etiam veritas mihi homini naturæ cognitionem ex professo indaganti curæ est,) nisi honoris etiam mei, & librorum quos edidi authoritatis, habenda esset ratio. Cœperam privatis epistolis cum illo agere, sed frustra. Itaque publicis ejus calumniis, respondeo publicè. Fateor me priorem de Aconiti ipsius imagine, an vera esset, dubitasse. cujus dubitationis causas, quas multas & graves habeo, hìc exponere non convenit. Sed dubitare non est calumniari. Ipse plurimas in meis libris fictas imagines reperiri, nulla dubitatione & simpliciter ait: quàm verè, quo candore, ipse viderit: idque non in secunda solùm Dioscoridis sui editione Latina: sed nuper etiam tertia, ut audio (neque dum enim vidi) Venetiis excusa. Potest sanè calumnia, etiam cum veritate aut potiùs veritatis parte, conjungi: cum id quod verum est, non integrum, sed ex parte tantùm, in alterius detrimentum aut infamiam dicitur. Posuit Gesnerus icones fictitias. Fatetur. sed ita ut agnoscat, authores nominet, sæpe etiam reprehendat. Horum ille Censor meus nihil dicit: sed primam solùm partem. Ignosco tamen (quod, ita me Deus amet, candide, & nullo scommate dico) illi bono eruditoque viro, tum aliarum ipsius virtutum & doctrinæ, tum meæ tranquillitatis, officiique hominis Christiani causa. Hæc hactenus satis, & quidem prolixiùs quàm volebam. Porrò si quis aliud quippiam hìc dicendum aut excusandum à me fortè expectat, quæ in alios hujus argumenti libros præfatus sum, legat.

ENVMERATIO ORDINVM, QVIBVS HOC IN LIBRO ANIMANTES QVADRVPEDES DIGESSIMVS.

Quadrupedes aut sunt viviparæ, aut oviparæ. Illas in sex Ordines distribuimus: has propter paucitatem non libuit dividere.

Contingit igitur Quadrupedum vivipararum mansuetarum

ORDO I. *bestias mansuetas, quæ armenta vel greges constituunt: cornutaq́ omnes & bisculæ sunt, & ruminant, non utrinq́ dentatæ. Vt sunt Boves, Oves, Capræ.* *Pagina 10.*

II. ex mansuetis jumenta, quæ sine cornibus & solipeda sunt: (aliqui veterina animalia vocant, quòd ad vecturam idonea sint: vel quasi venterina: quod ad ventrem onus religatum gerant: Græci ὑποζύγια, & λόφουρα: *) Vt Equum, Asinum, Mulum, Camelum , Et reliqua mansuetorum, ut Sues, Canes domesticos, & Felem domesticam.* *Pag. 19.*

Ferarum verò Quadrupedum vivipararum, quæ omnes utrinq; dentatæ sunt

ORDO *I. complectitur feras cornutas: Vt Boves, Capras & Oves sylvestres: Camelopardalin, Allocamelum, Cervos, Capreas, Alces, Rangiferum seu Cervum Scythicum, Rhinocerotem seu Taurum Aethiopicum: Elephantum, (in hoc enim cornua esse qui dentes vulgò appellantur, doctorum testimoniis constat.) Postremò Monocerotem: & Leporem cornutum: qualis prodigio potiùs quàm secundum naturam nascitur.*

II. non cornutas maiores: quæ hominem aut alia animalia unguibus & dentibus lædunt, multifidæ omnes, præter Aprum bisculum. Vt sunt, Vrsus, Leo, Tigris, [quam Canario generi quidam adnumerant:] Pantheræ, & similes eis sed minores, [quæ magnitudinis ratione ad sequentem Ordinem referri debebant.] Genetha, Felis Zibethi, & Lynx. item Hyæna, Lupus Lupus Scythicus, Lupus marinus quadrupes, Aper sylvestris, Hippopotamus. Horum genus commune nullum est, nisi Pantheram ceu genus unum statuas, quo comprehendas Leopardum, Lynces, Thoës, Pantheria, Genetham, & Feles tum alias tum Zibethi cognominatam. Scaliger Canario generi subiicit Canes domesticos & feros, Lupos, Hyænam, Vulpem & Tigridem: nos hæc magnitudinis ratione ad diversos Ordines retulimus. *Pag. 65.*

III. eiusdem naturæ reliquas mediæ magnitudinis, minusq́ noxias: Vt sunt Castor, lutra, Melis, Hystrix, Vulpes, Pithecalopex, Simiarum genera, Sagoinus Americæ, & ex eadem Arctopithecus quidam. Mustelæ diversæ, Ichneumon, Mus Indicus, Tatus, Lepus. Inter has Simia, generis nomen est, quod species plures continet, deinde Mustela, tertiò Lepus. Huc etiam Canes & Feles sylvestres pertinent. Panthera similes quamvis minores feras, similitudinis magis quàm magnitudinis merito, ad præcedentem ordinem retuli. *Pag. 83.*

IIII. minimas & Murium ferè generis: quorum ea quæ per arbores aut parietes repere & scandere possunt, Græci aliquando Ἑρπετὰ *nominant, nimis communi vocabulo: & quod de pedibus magis debeatur. Vt sunt, Cuniculus: quem à cognato sibi Lepore [ultimo præcedentis Ordinis] propter magnitudinem minorem, seiunximus: Cuniculus Indus, Echinus, Mus alpinus vel Arctomys, Glis, Sciuri, Cricetus, Mures diversi, Talpa.* *Pag. 105.*

Animalium Quadrupedum ovipararum.

ORDO *I. & ultimus, complectitur Chamæleontem, Testudinem terrestrem: Lacertarumq́ & Ranarum terrestrium genera. Nam Crocodilum, Ranas & Lacertas aquatiles, Aquatilium libro subiunximus.* *Pag. 117.*

In Libri fine sequuntur

ADDITIONES *quædam omissorum, &c.*

ANI-

ANIMALIUM DIVISIO, SECUNDUM ELEMENTA, IN QUIBUS HABITANT.

ANimalium tria summa sunt genera: Aves, Pisces, & Terrestria. Piscium nomine nunc communiùs sumpto, Aquatilia omnia comprehendimus. Terrestria dicimus, quæ Aristoteles πεζά: Theodorus malè pedata. nam Angues etiam πεζοὶ sunt, cum pedibus careant. Insecta ambigunt. plurima enim terrestria sunt: sed & aquis sua non desunt insecta: & quædam eorum in aëre volitant. ¶ Singulorum autem multæ sunt variæq; differentiæ. A forma: unde sunt genera & species. A materia, ut à partibus. Ab accidentibus, ut à moribus, à victu: ab usu, qui ad homines pertinet. Et aliæ quædam. Nos hîc de iis præcipuè dicemus, quæ ab elementis in quibus degunt, sumuntur differentiæ, ex Scaligeri ferè commentariis. Alia enim in uno: alia in duobus elementis vivunt, quæ amphibia dixeris, multò latiùs patente hoc vocabulo, quàm vulgò accipiatur. Deinde etiam quomodo secundum refrigerationem caloris nativi differant, ex Aristotelis sententia.

TERRESTRIUM ALIA

1. In terra degunt, & è terra vivunt, ut Bufones.
2. E terra, non de terra, ut quæ frugibus vescuntur.
3. Ab aqua, ut Lutræ: quæ & in terra & in aqua victum capiunt. Quædam piscium avidissima, aquarum contactum exhorrent, ut Feles.
4. Ex aëre, ut Canis lævis: quem rore vivere aiunt.

AVIUM ALIÆ

1. In solo aëre, & ex eo, nempe aëre, Manucodiata dicta. Hirundo verò non in solo aëre, sed à solo.
2. In sola aqua: ut in Oceano Brasiliæ marini Anseres, colore atro: qui nunquam evolant. & in Oceano Sur, Chinam versus, aves apodes, quæ nunquam exeunt è mari, &c.
3. In sola terra, Struthiocamelus.
4. In terra & aqua, Ardea.
5. In aëre & terra. Vespertilio: qui & in aere Culices venatur, & in terra suillas pernas populatur.
6. In tribus elementis vitam, sed non victum habet, Cycnus. Sed & quæcunque animalia in duobus sunt, ut terra & aqua: sunt etiam in tertio, nempe aere. in terra enim esse nequeunt extra aerem.

PISCIUM SEU AQUATILIUM ALIA

1. In sola aqua degunt & vivunt, ut Pisces propriè dicti plerique: sed plurimi ab aqua: Apua ex aqua tantùm.
2. In aqua & terra, ut Polypus: qui ad fructus arborum, & salsamenta exit, est enim omnivorus. Et Vitulus marinus, qui tum piscibus vescitur, tum vastat vineas. Tiburo depascitur herbas, quæ in ora sunt maris, exerto ab aquis ore.
3. In aqua & aere: non ad solùm victum, sed usu vario. quidam enim aere utuntur tanquam instrumento, aut (ut ita dicam) sequestro ad motum volatus instar, cum fugiunt instantem hostem: ut Loligo, Hirundo, Miluago, Pecten. Alii ad spirandum, ut Delphini. Nonnulli ad cibum consequendum, ut Cancri. Aliqui ad teporem: ut Polypus, Exocœtus, Testudo, Muræna conjugii cum serpente gratia.

A REFRIGERATIONIS MODO
Animalium differentiæ.

VITA in calore consistit: qui in viventibus omnibus nisi temperaretur ac refrigeraretur mediocriter, non duraret. Refrigeratio autem hæc contingit aliis forinsecus tantùm ambiente elemento refrigerante: ut plantis, partim ab aere, partim à terra: & insuper alimento. nam alimentum quoque primum refrigerat. Et similiter animalium exanguibus, ut in terra insectis: quorum quæ minus calida sunt, simpliciter aere externo temperantur: quæ verò calidiora sunt, & longioris idcirco vitæ, corpus sub diazomate sectum apertumque habent, ut aer illic magis penetret per tenuem diazomatis membranam. Et spiritus etiam intrinseci motu, nonnihil refrigerantur, quem quidem in eis moveri vel sonus testatur. hujusmodi enim omnia bombum aut sonum aliquem ædunt, ut Apes, Vespæ. Ex aquatilibus exanguia sunt, Malacostraca, Ostracoderma, Mollia. Malacostraca ut Cancri, & Mollia, ut Polypi, aquam necessariò admittunt, dum cibum capiunt, obiter, non ut refrigerentur: & eam mox reddunt, ne in ventrem illabatur: hæc quidem per foramina dicti capitis: illa verò per partes quas δασέα vel βραγχοειδέα in eis appellant. Ostracoderma fortè corpore toto compresso astrictoque, aquam exprimunt ceu per spongiam aut meatus quosdam latentes. His omnibus, quoniam parum caloris habent, elementum ambiens sufficit. At quorum copiosior calor est, recepta intra se aeris aut aquæ portione refrigerantur, ut sanguine prædita omnia: quibus cunctis etiam hepar inest, prima sanguinis officina: & cor caloris vitalis fons. Quorum autem sanguis calidior est: ea recreantur hausto aere, perque os vel nares in arteriam ad pulmonem & cor inspirato. Cæterum pulmonem alia habent sanguine imbutum abundantiore, ut Quadrupedes viviparæ, quæ necesse habent perpetuo per intervalla crebrò inspirare, id est, aerem recentem haurire: & expirare, id est, crassiorem veluti fuliginosum sanguinis halitum expellere. itemque Cete propriè dicta, ut Balæna, Delphinus: quæ aquam non admittunt, nisi cibi capiendi gratia, quam pleraque mox per quandam in capite fistulam, reddunt, paucæ alio quodam rostri meatu. Hæc idcirco, capita subinde extra aquas exerunt, ut Ranæ in nostris aquis. Aliorum pulmo minus sanguineus est, ut Quadrupedum ovipararum, (& ex viviparis Lutræ etiam, & Phocæ, puto,) Serpentium, Avium. hæc aliquandiu spiritum cohibere possunt, & sine respiratione durare, alia longiore, alia breviore tempore: quòd & minùs opus eis sit refrigeratione: & in vacuis pulmonum meatibus aerem extrinsecus haustum retineant. itaque urinari aut inclusa latère possunt. Postremò ea quorum minùs calidus & dilutus est sanguis universus, ut Piscium propriè dictorum, refrigerantur aqua per branchias (arteria enim aspera & pulmone carent) ad cor deducta. Aquam verò obiter per os ingressam dum cibum capiunt, iisdem branchiis rejiciunt: Lampredæ fortè ac similes etiam per fistulam, ut Cete: quoniam ore adhærere solent. Branchiæ aliis spineo operimento teguntur, ut Piscibus simpliciter dictis: aliis ceu foramina aperta sunt, ut Galeis & Cartilagineis omnibus præter Ranam piscatricem.

QVADRVPEDVM VIVIPARORVM

Ordo I.

QUI CONTINET ANIMALIA MANSUETA: ET PRIMUM ARMENTA AC GREGES.

LATINE Taurus.

GRÆCE Ταῦρος.

ITALICE Toro.

GALLICE Toreau.

GERMANICE Stier.

Anglice Bull



LATINE Vacca.
GRÆCE Βοῦς fœmin. genere.
ITALICE Vacca.
GALLICE Vache.
GERMANICE Kuh.

Anglice Cow



LATINE	Bos (Græcè βοῦς, generis communis in utraq; lingua) Taurum & Vaccam comprehendit: ſed propriè Bos dicitur qui caſtratus eſt. Græcè βοῦς maſc. genere.
ITALICE	Bue vel Bovo.
GALLICE	Beuf vel Boveau.
GERMANICE	Ochs oder Rind.

Anglice, Ox.



*LATINE apud recentiores Bubalus. nam alius est veterum Bubalus. vide ordine I. Ferarum.

ITALICE Bufalo. GALLICE Beuffle. GERMANICE Büffel.



BVfalus vulgò dictus Italis (inquit Cæsar Scaliger) est Bouis genus atri, maximi roboris: depressiore quam Bos magnitudine: sed corpore compactiore, latiore, pleniore, firmiore. Cornua non tam teretia, quam pressa: nec surrecta, sed deorsum versum retroflexa. Etiam domitis maxima ferocia: quæ corrigitur, vitulis annello ferreo pridem naribus inserto: cui funiculus inditus pro habenis est. Hunc neque Bubalin (veterũ) esse, neque Vrum scio. Calcibus non cornibus (vt Bubalus Aristoteli) pugnat: inepta enim sunt ad pugnam cornua, quia retrorsum auersa ac demissa cuspide.

LATINE	Ouis.	ITALICE	Pecora.
GALLICE	Brebis.	GERMANICE	Schaaff.

Indicam ouem, quæ victu seu loco fera videtur, ingenio & moribus mansueta, sicuti & Camelopardalis, vnde ouis nomen utriq; obtigit, non à formæ similitudine, exhibebimus infrà, Ordine primo ferarum.



OMNIUM Hebridum postrema insula est quæ Hirtha appellatur, polarem habens eleuationem sexaginta trium graduum. Nomen autem huic ab Ouibus, quas prisca lingua Hierth vocamus, inditum est. siquidem Oues fert vel maximos hircos altitudine exuperantes, cornua bubulis crassitudine æqua, sed longitudine aliquanto etiam superantia. caudis in terram usque promissis. Cæterùm in Orchadibus Oues penè omnes geminos, immò trigeminos pleræque partus edunt.

OVis Arabica (inquit Io. Caius Anglus, qui etiam eicones duas, quas subiiciemus, misit) paulò maior est vulgari, eodem tamen quo illa vellere, figura corporis, & colore. Tantum tibiæ & prima facies ruffescunt modicè. cauda lata est in summo cubitum vnum, paulum modò in descensu se coarctans leniter, quousque tandem desinat in eam figuram, qua est aliarum ovium cauda. Vescitur herba, carne, pisce, pane, caseo, & quibusvis, id docente fame in nave, cum advecta ad nos est in Britan. Herod. in Thalea scribit, nō alibi visum hoc, aliudq; genus μακρόκερκον (quod hic vnà subijciam) quàm in Arabia. Sunt (inquit) in Arabia duo Ovium genera, admiratione digna, neq; alibi usquam visa. Alterum, caudam gerit tricubitali longitudine: alterum, cubitali latitudine. Hæc ille. Hæc dum scriberem, vir quidam fide dignus mihi retulit, visam sibi Francfordiæ olim huius generis ovem cauda lata, non vt hîc pingitur: sed simpliciter marsupij seu peræ alicujus instar latam, ita vt non attenuaretur deorsum: sive natura ea talis fuerit, siue aliter. Iohannes Leo Africanus hoc genus Africæ attribuit. His arietibus (inquit) nullum ab aliis discrimen est, præterquam in cauda, quam latissimam circumferunt: quæ cuique quò opimior est, eò crassior obtigit, adeò ut nonnullis libras X. aut X X. pendat, cum sua sponte impinguantur. Verùm in Ægypto plurimi farciendis veruecibus intenti, furfure hordeoq; saginant: quibus adeò crassescit cauda, vt seipsos dimovere non possint. itaque qui eorum curam gerunt, caudam exiguis vehiculis alligantes, gradum promovere faciunt. Vidi in Asiota Ægypti ad Nilum civitate, centum & quinquaginta passuum milibus ab Alcairo sita, hujusmodi caudam libras octoginta ponderare; aliis se vidisse affirmantibus quæ semiducentas (*sic habet codex impressus*) libras expendissent. Omnis itaq; horum animalium pinguedo in cauda consistit: nec vsquam nisi Tuniti & in Ægypto reperiuntur.

LATINE	Ovis Arabica, cognomine Græco πλατύκερκος, hoc est, latæ caudæ.
ITALICE	Pecora d' Arabia con la coda larga.
GALLICE	Vne Brebis d'Arabie, à queue large.
GERMAN.	Ein Schaaff auß Arabia/mit einem breiten schwantz.



LATINE	Ovis Arabica altera, Græco cognomine μακρόκερκος.
ITALICE	Pecora d' Arabia con la coda longa.
GALLICE	Vne Brebis d'Arabie à queue longue.
GERMAN.	Ein anderley Schaaff auß Arabia/mit einem langen schwantz.



LATINE Hircus. ITALICE Beccho.
GALLICE Bouc. GERMANICE Bock.



Latine

Latine	Capra.
Italice	Capra.
Gallice	Cheure.
Germanice	Geiß.



LATINE	Capra Indica, ad viuum depicta.
ITALICE	Capra de la India.
GALLICE	Cheure d'India.
GERMANICE	Indianische Geiß.



Eiusdem ex libro quodam impresso Icones.



Capra Indica à recẽtiorib. quibusdam Mambrina cognominatur, fortè à Mãbre, qui mons est iuxta Hebron. Capra Mambrina in regione Damiata dicta, fert equitantem, sellam, frenum: & cætera quibus equi iustrui solent, admittit. auriculas ad terram usq; demissas habet: cornua deorsum reuoluta sub ore. haud scio an sit ex capris sylvestribus illius regionis, Italus quidam innominatus in descriptione terræ sanctę. Hanc capram Ioa. Leo Africanus in Africæ descriptione Adimain vocat, ut conijcio. Adimain (inquit) animal domesticum, arietẽ forma refert, statura asinum. Aures habet oblongas & pendulas. Libyci his animalibus pecoris vice vtuntur: quorum lacte maximã casei & butyri copiam conficiunt. Lanam tametsi curtam gerant, habent mediocrem. Fœminæ saltem cornua gestant. Ego quondam juvenili fervore ductus, horum animalium dorso insidens, ad quartam miliarij partem delatus fui. In desertis Libyæ frequenter reperiuntur, alioquin rari: licet plerunque in agris Numidiæ videantur, quod prodigij loco habent. Sic ille. Ælianus scribit, Oves Indiæ & Capras ad maximorum magnitudinem Asinorum accedere.

LATINE

QVADRVPEDVM VIVIPARORUM ORDO SECUNDUS,

Qui ex mansuetis Iumenta complectitur, cum Canibus & Fele.

LATINE	Equus.	ITALICE	Cavallo.
GALLICE	Cheval.	GERMANICE.	Roß.



LATINE Aſinus. ITALICE Aſino GALLICE Aſne. GERMAN. Eſel.



VT Pierius Valerianus in vario & doctiſſimo ſuo Hieroglyphicorum volumine docet, per Aſini effigiem denotabantur olim; denotariue poſſunt hæc. I. Rerum omnium, hominumq; locorumq; ignarus per Aſellicipitem hominem ſignificabatur. II. Immodica petulantium hominum luxuria, per Aſinum in diuinis literis notatur. III. Impudentia: quòd Aſinus ſua tantùm cōmoda deſtinatiſſimo quodam animo proſequatur: & modò ſuæ morem gerat voluntati, nihil penſi habeat, caſtigationes contemnat, verbera etiam nihili faciat. Xenephon Aſinos quadrupedum inverecundiſſimos dixit. Ioſippus cor Aſini & Canis impudentiam obiicit Appioni. IV. Populus Iudaicus: vtpote qui ſublimioris doctrinæ, quæ in diuinis eorum literis deliteſcit, intellectum minimè percipiunt, ſimplicitatemq; ſcriptorum tantùm proſequuntur, ob huiuſmodi ſtuporem & imperitiam Aſinæ aſſimilatur, quam Chriſtus poſthabuerit inſcenſo eius pullo, qui factus eſt ea doctrina dignus quam ille nos docuit, &c. V. A Deo & ſacris alienus. Aſinum enim Ægyptij adeò impurum exiſtimabant, vt animal etiam dęmoniacum arbitrarentur, &c. Erat verò apud eos mos vt Aſinum ludibriis omnibus inceſſerent, luto ceſpitibuſq; paſſim impetitum, contis etiam ſtimularent, quaq; ſe locus offerret opportunus, præcipitem agerent. vnde proverbium in contemptibiles deſpicatiſſimoſq; homines emanârit, Aſinus Ægyptius. VI. Egregium principium citò deſtitutum. In ore enim omnium eſt, Aſini ſuccuſſationem (vel incœptum curſum) parum admodum procedere, &c. VII. Stoliditatis ludibrium. Sic Ægyptii in Simiarum grege Aſinum vel ſaltare vel tibiis canere, vel etiam diſceptare fingebant, rem quidem tam dictu quam ſpectatu ridiculam, ſed quæ in ſeceſſu pondus habeat. VIII. Indocilitas, per Aſinum frænatum, apud Ægyptios & Mathematicos. IX. Sophiſtarum nugæ. Aſinum enim (inquit Pierius) Sophiſtæ noſtri ita in deliciis habent, vt ſine Aſino nihil meditentur, nihil moliātur, & diſciplinam omnem ſuam περὶ ὄνου σκιᾶς oſtentent, &c. X. Adulatorum illecebræ. Sacerdotes enim Ægyptij Aſinum inter flores & vnguenta ſtatuebant: quorum nihil ad ſenſum eius pertineret: ex hoc ſcilicet perniciem, quæ potentioribus præcipuè aſſentatorum machinis inſidiatur, indicantes, cùm inde riſui & ludibriis omnium exponantur, qui enormes adulatorum aſſentationes aucupantur. XI. Ignavia. XII. Mulier malè morigera & conceptum euitans, &c. per Aſinam & fuſtem inhærentem tergo, deſignatur: vt vir etiam minimè officioſus in vxorem per Aſinum, &c. XIII. Prægnantiæ diſſimulatrix. Aſina enim impendio cavet ne vel in conſpectu hominum, vel in luce pareat. XIV. Solſtitium vel tempus annuum, per Aſinæ pullum. Solſtitio enim ferè & parit & admittitur: annumq; integrum omnino geſtat. XV. Vir frugi, vxor prodiga, per hominem ſparti funiculum torquentem, & Aſellum à tergo opus quantumcunq; fieret, abrodentem. XVI. Patremfamiliâs parcum; familiam prodigam, per Aſinum vnū longioris funis nodos complicantem, ac alios à tergo clanculum diſſolventes. XVII. Bonum omen, quod Auguſto in aciem deſcendenti Eutychus Aſinarius, & Aſinus Nicon, nomine obvij fuerint. XVIII. Vinitor. nam abraſo ab Aſino vitis palmite, vindemiam inde feraciorem proveniſſe obſervatum eſt: idq; ſecuti mortales lætiorē ſibi quotannis proventū cōpararunt. XIX. Ochus ab Ægyptiis, quem tāquam tyrannum oderant. XX. Labor indefeſſus atq; ſervilis. Eremitam diuinæ literæ per Onagrum intelligunt. hoc enim animal in ſolitudinariis locis vitā degit.

LATINE Mulus. ITALICE Mulo.
GALLICE Mulet. GERMA. Maulthier oder Maulesel.



LATINE Camelus, vel Camelus Bactriana. ITALICE Camello.
GALLICE Chameau. GERMAN Kamälthier.



LATINE	Camelus Arabica, vel Camelus Dromas.
ITALICE	Dromadario.
GALLICE	Dromadaire.
GERMANICE	Dromedari.



LATINE	Sus vel Scropha.	LATINE	Verres.
ITALICE	Scrofa vel Troiata.	ITALICE	Verro.
GALLICE	Truye vel Coche.	GALLICE	Verrat.
GERMANICE	Mor oder Looß.	GERMANICE	Eber.



SVIS ICONES APVD veteres.

SVs Æneę Lauini (ut ſcribit Varro) triginta porcos peperit albos, itaq; quod portẽderit factu, ſcribitur, triginta annis vt Lauinienſes conderent oppidum Albam. Huius ſuis ac porcorum etiã nunc veſtigia apparẽt. Iam ne (*Nónne*) ſimulacra eorum ænea etiam nunc in publico poſita: & corpus matris ab Sacerdotibus, quod in ſalſura fuerit, demonſtratur? Porci (Apri, Plinius) effigies inter militaria ſigna quintũ locum obtinebat. Quia confecto bello, inter quos pax fieret, cæſa porca fœdus firmare ſolebant, Feſtus. Samiorum naues Suis typum in proris prætendebant: vnde & prouerbium natum eſt, Συὸς τύπον, Varinus. Samæna (adiectiuum nomen fœmininum à Samo) navis, cuius inſigne fuerit Porci caput, (προτομὴ) apud eundem & Heſychium legitur. Veteres numos pecudum effigie ſignabant, Ovis, Bovis, Suis, Plutarchus in vita Publicolæ. Porcam auream & argenteam dici ait Capito Atteius: quæ etſi numero hoſtiarum non ſit, nomẽ tamen earum habere, (&) alteram ex auro, alteram ex argento factam ad hiberi ſaerificio Cereali, Feſtus.

Emblema Alciati: loquitur autem Mediolanum civitas.

Bituricis Vervex, Hedus dat Sucula ſignum.
His populis patriæ debita origo mea eſt.
Quam Mediolanum ſacram dixere puellæ
Terram: nam vetus hoc Gallica lingua ſonat.
Culta Minerva fuit, nunc eſt ubi numine Tecla
Mutato, matris virginis ante domum.
Laniger huic ſignum Sus eſt, animalq́; biforme,
Acribus hinc ſetis, lanitio inde levi.

LATINE	Canis	ITALICE	Cane.
GALLICE	Chien.	GERMANICE	Hund.



Sequuntur tria canum genera, quæ Hector Boëtius Scotis peculiaria esse scribit: sed vt Io. Anglus nos monuit, non minus frequentes in Anglia sunt. Effigies eorum Heinricus à S. Claro Metrópolitanæ Ecclesiæ Glasguensis in Scotia decanus, vir nobilitate & eruditione præclarus, per doctißimum virum Io. Ferrerium Pedemontanum nobis transmisit.

CANIS Britannicus sive Scoticus alius, furũ deprehensor, Scotis vocatus ane Sluth Hownd. Conferatur hic cum Anglorum Bluthunde/ id est, Cane sagace sanguinario. Similem quidem huic Canem sagacem sanguinarium pictum Io. Caius misit, cuius effigies mox sequetur cum loro. sed hoc & sequente sagacibus suum maiorem esse scribit. Canis hic (inquit Hector Boetius) haud maior est odorisequis: sed vt plurimum ruffus, nigris inspersus maculis: aut niger ruffis. Tanta vero his sagacitas inest, vt fures furtoq; ablata persequantur, & deprehensos continuò invadant. Quod si fur, quò fallat, fluvium traiecerit, quo loco fluvium ingressus est & ipsi se præcipitant, & in adversam devenientes ripam, in gyrum circunquaq; procurrere non cessant, donec odoratu vestigia assequuti sunt, &c. GERMANICE Schlatthund / Blůthund.



Canis Britannicus ſagax: qui in Scotia, vt quidā retulit, vocatur ane Rache. Genus hoc (inquit Hector Boëthius) odoriſequum eſt: feras, aves, imò & piſces quoq; inter ſaxa latentes, odoratu inveſtigat. Io. Caius Anglus tamen nos docuit, Canem venaticum omnem qui feras perſequatur, Anglicè vocari a Hunde. in eoq; genere qui feras vivas tantùm odore ſequatur, ſimiliter nomine generis a Hunde dici: fœminā verò eius, Anglis a bracke: Scotis ane Rache.

Germanice Ein Brack/ Ein Schottiſcher Waſſerhund.



Canis Britannicus venaticus, celerrimus audaciſſimuſq;: non ſolùm in feras, ſed in hoſtes etiam latroneſq;: præſertim ſi dominum ductorémve iniuria affici cernat, aut in eos concitetur. Leporarius.

Scot. Ane Grew Hownd/ id eſt, Canis Græcus, vt quidam interpretantur. Angli ſcribunt a Grehunde: quod nomen Io. Caius deducit vel à gret / id eſt, magnitudine, quòd cæteros venaticos magnitudine excedit: vel à gre / hoc eſt, gradu, quòd in Canum venaticorum genere præcipui gradus eſt & generoſitatis.



SEQVVNTVR

SEQVVNTVR ALIA CANVM BRITANNICORVM GENERA: QVORVM EICONES AD VIVVM FActas Io. Caius Anglus miſit: vt etiam Getuli Canis. Idem Caius Tractatum De differentiis & moribus Canum Anglicorum, pereruditum in noſtram gratiam conſcripſit: quem primo quoq; otio vnà cum aiis quibuſdam in lucem dabimus.

Canis ſagax ſanguinarius, apud Anglos.

Anglice A Bludhunde. Eadem hujus natura videtur, quæ Canis Scotici furum deprehenſoris, proximè deſcripti.



Canis Auiarius Campeſtris, quò Falconarij (id eſt, qui cum Accipitribus aucupantur) ad Perdicum aut Phaſianorum ferè aucupiū utuntur. Sunt hujus generis omnis ferè coloris (inquit Caius) ſed magna ex parte candidi: & ſi quas maculas habeant, rubræ ſunt, raræ & majores. Peculiare nomen Anglis non habet, niſi ab ave, ad cujus venationem natura eſt propenſior.



Germanice Ein Vogelhund/ wirdt zu den fäderſpil gebraucht/ Räbhüner oder Phaſanen/ ꝛc. zu fangen.

Canis Aviarius aquaticus. Qui per aquas venatur (inquit Caius) propenſione naturali, accedente mediocri documento, major his (*aviariis qui in ſicco venantur*) eſt, & promiſſo pilo naturaliter per totum corpus. Ego tamen ab armis ad poſteriores ſuffragines atque extremam caudam depinxi detōſum, vt vſus noſter poſtulat, quò pilis nudus expeditior ſit, & minùs per natationes retardetur.



Anglice A Waterſpagnelle.

CANIS Getulus. GERMANICE Ein art der hunden auß Affrica.



CANIS Getulus (inquit Caius) jam apud nos est in Britannia: corpore coacto, curto & recuruo naturaliter, etiam quum ingreditur, pariter & collo brevi aut nullo: cruribus longioribus quam pro corporis proportione, cauda brevissima & penè nulla: facie, vt herinaceo terrestri, acuta atque nigra. Voce canis, gressu simiæ, &c.

LATINE Feles, vel Catus. ITALICE Gatta vel Gatto.

GALLICE Chat, vel Chatte. GERMANICE Katz.

DOMESTICORVM felium pellibus fœminæ Moscovitæ vestes muniunt adversus hybernum gelu. Aiunt enim nullius æquè pili calore foveri corpora. Pessetz animal hoc vocant illi, haud procul à nostratium Dalmatarum appellatione, Scaliger.



QVADRV-

QVADRVPEDVM VIVIP. FERORUM ORDO I.

QUO CONTINENTUR FERÆ CORNUTÆ.

Cornuum differentiæ.

CORNUTARUM animantium cornua, alia ſimplicia ſunt, alia ramoſa. Simplicia decidere non ſolent: cavitatem enim aliquouſq; habent, & alimentum perpetuò recipiunt. Hæc rurſus vel bina ſunt, ut in armẽtis & pecore, aliiſq; cornutorum pleriſq; (Ovem Creticam Oppianus quadricornem facit:) vel ſingula, idque in pauciſſimis, & orbi noſtro peregrinis, vt Monocerote, oryge. ſed Monocerotis ita ſingulare eſt, vt geminum videatur, nempe è binis quæ funalium inſtar ſpiratim contorta inuicem coaluerint. Orygis cornu nondum vidimus. Rurſus bina vel inflexa ſunt, vt plerorunq;: vel directa, ut Strepſicerotis Bellonij, Camelopardalis. Flexus quidẽ varius eſt, antrorſum, retrorſum, in obliquum: vel in eandem partem, ſed aliis plus, aliis minus. Situ etiã differunt bina, tum ſimplicia, tum ramoſa. Rhinoceroti naſus videtur inſigni cornu præditus: aliud verò parvum ad initium dorſi corniculum eminet. Alce in ſuperciliis ſua gerit cornua. Elephanti cornua dentes videntur. quoniam deorſum vergentia ſuperiorem maxillam penetrant. Cæterum ramoſa omnia, ni fallor, quotannis decidua ſunt: quoniam cavitatem qua enaſcuntur nullam habent, & cum prorſus ſolida ſint, alimento repleta, obſtructis meatibus, exſiccatoque principio cadunt. Hæc rurſus vel rotunda ferè ſunt, ut in Capreolis & Cervis ſimpliciter dictis: vel lata, idq; vel per totam longitudinem, vt Alces: vel aliqua ex parte, maiore, vt Platycerotis: minore, vt Cerui palmati. Nos in his animalibus proponẽdis, ea ferè coniungemus, quorum ſimilia ſunt cornua.

LATINE Vrus veterum. Eſt autem hæc eius icon ad vivum reddita: ſequentem ex Tabula quadam Geographica mutuati ſumus. Plura leges cum Icone proxima.

GERMANICE Wiſent/recht conterfetet: ſollt billicher ein Awerochß oder Aurox (Vrochß) genennt werden/als etlich meinen.

POLONIS & LITHUANIS Thur.





LATINE Vri vulgo dicti (id est, Bisontis veterum, secundum Sigismundũ Baronem alia icon (non proba, ut mihi videtur,) ex Tabula quadam Chorographica, olim nobis desumpta. De Vri forma apud veteres hæc ferè solùm legimus: Bovem esse ferum in sylva Hercynia, specie, colore & figura Tauri: magnitudine paulò infra elephantum. cornuum amplitudine, figura, specieque, multùm à nostrorum boum cornibus differente quorum pro poculis usus esse possit. Latisque feri cornibus Vri, Seneca in Tragœdiis dixit: non quòd cornua lata habeant, sed quòd latissimè ad latera ea extendant. Vi & velocitate insignem esse. Virgilius Vrorum nomen simplicius pro bobus sylvestribus posuit, abundante etiam epitheto Sylvestrium: neque enim Vri ulli mansueti sunt. Servius interpretatur boves sylvestres qui in Pyrenæo monte inter Galliam Hispaniamq; nascantur, interpretatur, sic dictos ἀπὸ τῶν ὀρῶν, id est, à montibus. Sed boves feri in aliis atq; aliis regionibus diversi sunt: Vri verò propriè dicti speciem unam constituunt, nomine, ut ego coniecerim, non Græcæ originis, sed ab illis gentibus sumpto apud quos nascitur. nam & Germani Vrochs (id est Vrum bovem, quanquam non hunc sed Bisonem) appellant: & Poloni Thur, literati Thuronem, maioris est mansueto, Bisone autem minor: cornibus extrema parte præacutis: robustum & velox animal ut aiunt. Germania Scythiæ contermina insignia boum ferorum genera gignit, iubatos Bisontes: excellentique & ui & velocitate Vros, quibus imperitum vulgus Bubalorum nomen imponit, Plinius. Plura vide mox in Bisone: & in Censuris ad finem huius libri adiectis. Basileæ nuper apud egregium pharmacopolam Hummelium vidi cornu oblongum, nigrum: ab uno latere nodis, ferè ut Ibicis cornu, distinctum: Bubali esse aiebat. sed inquirēdum diligentius. Vros (inquit Sigismundus Liber Baro) Germani Bisontes vocant: Lithuani Thur. reperitur autem in sola Mazovia: forma bovis nigri, longioribus cornibus quàm Bison. Nec te moveat dictio Germanica, quæ Vrum Bisontem vocat: & Bisontem, Auror, (id est, Vrum.) Nam Cæsar in Commentariis tradit Germanos Vrorum cornibus pro insignioribus poculis quondam usos fuisse: quem usum etiam hodie Samogithæ (proximi Lithuanis) observant. Vrorum porrò cornua, quæ etiam nostro tempore in quibusdam templis auro & argento exornata, veluti rara quædam monumenta reperiuntur, & longitudine & colore à Bisontis cornibus aliquanto brevioribus, poculisque minimè aptis, facile discernuntur. Vrus (inquit Scaliger) à vulgari Tauro nihil differt, nisi magnitudine, & viribus: quibus illum superat. cornibus vastissimis.

GERMAN. Ein Vrochs oder Awerochs / nicht conterfetet / sonder auß einer Mappa deß Moscowiterlands genommen.

LATINE

LATINE Biſon veterum. nam recentiores aliqui Germanici vocabuli imitatione, Vrum veterum, nominant Biſontem. Nos hunc verum Biſontē exiſtimamus, vt ante nos vir doctiſſimus Nicolaus Huſſovianus, cujus carmen extat de Biſontis ſtatura, feritate ac venatione: & ſimiliter Sigiſmundus Liber Baro, & Iulius Scaliger. Lege etiam quæ proximè cum Vro ſcripſimus.

GERMANICE Awerochs / Vrochs: ſolt billicher ein Wiſent genennt werden / als etlich meinen.

LITHUANUS Suber, Polonis Zuber, vnde aliqui Latina inflexione Zubronem nominant.



BISON à Pauſania Taurus Pæonicus nominatur. Ariſtoteles Bonaſum etiam, Taurum Pæoniæ ferum eſſe tradit. Biſon, Biſonis, inflectitur à Gręcis: Latini in obliquis proferunt cum t. biſontem. obtigit autem ei hoc nomen à Biſtonia, quæ eſt Thracia, vel Thraciæ regio, quanvis in ipſa Thracia & Pæonia fortè non reperitur, ſed aliis ad occidentem magis remotis regionibus, & Græcis Latinisq; olim incognitis. Apud authores cognominatur turpis, villoſus, & jubatus Leonis inſtar deſcribitur, barbatusq;: cornibus acutis admodum, mucrone recurvo & ſurſum ſpectante. Albertus Biſontis nomine etiam Vrum complectitur: nam Wiſent vulgo nominatis alta longaq; cornua eſſe ait: aliis vero brevia, craſſa & valida. Biſontis apud Iul. Cæſarem deſcriptio, planè falſa eſt, (& ad Tarandum magis quam Biſonem accedit,) ſicut & Alces. Biſontis (inquit Antonius Schnebergerus meus in epiſtola ad me) quem Poloni Zubr nominant, imaginem mittam tibi ubi accuratam nactus fuero: nam Sigiſmundi Baronis neutra mihi probatur. Mittam etiam cornu. Nullum equidem novi animal cuius aſpectus tam atrox ſit. nuper duos vidi in ampliſſimo roborario, quod duarum horarum itinere Vilna diſtat. æſtate ſicut & aliæ quadrupedes, pilos breviores rarioresq; habet: hyeme contra. veſcitur fœno. Hæc ille. Nobiliſſimus Io. Bonerus, in epiſtola qua me dignatus eſt: Ex cornibus (inquit) quæ mitto, quanvis non iuſtæ magnitudinis, vaſtitas huius beluæ conſiderari poteſt. nam in capite ubi applicantur oſſibus & pelli, intervallum ad minus duos pedes Romanos æquat.



LAT. & Græcè Bonasus vel Bonassus: reperitur & n. geminato scriptũ: alio nomine Monops à Pæonibus vocatur.

GERM. Ein wilder Büffel oder Wisenten art.

BOHEMICE Loni.

ICONEM exhibitam tanquam Bovis feri alicuius olim. Cor. Sittardus Norimberga ad me misit, nescio unde nactus. nihil enim præterea scripsit, & paulò post suum diém obijt. Ego cum in Europa post Vrum & Bisontem nullum alium Bovem ferum nominatum inveniam quàm Bonassum, hunc Bonassi nomine proponere volui: non quidem ut affirmarem, sed ut studiosis harum rerum diligentiùs inquirendi occasionem præberem. Bonassum Aristoteles nominat ac describit. nam Ælianus & Plinius ex Aristotele repetierunt: ex Plinio Solinus. Tauri est magnitudine, sed latior, brevior & in latera auctior. Tergum eius distentum locum septem accubantium occupat. Cervix armorum tenus iubata est, ut equi, sed villo molliore & compositiore. Caproneæ ad oculos usq; (sed magis ad latera) propendent. Color toto ferè corpore flavus. Villus suprà squalidus, subter lanarius. Cornua adunca in se flexa, & pugnæ inutilia dodrantalia aut paulò maiora, trium sextariorum ferè (aut dimidiati congij) capacia, pulchrè & splendidè nigra, cauda minor quàm pro magnitudine. in fuga dum urgetur, fimum fervidum & adurens ad quatuor ferè ulnas (orgyias remittit. Tergus contra ictus validum est. Hæc ferè Aristoteles. in Mirabilibus narrationibus, Tauro multò maiorem esse scribit. Apparet autem eum hæc ita ut à narrantibus acceperat, hominibus diversis, nec uno tempore, annotasse: & fieri potest ut duorum sylvestrium boum historias confuderit. Cornua dicit esse γαμψὰ πρὸς ἄλληλα (Paraphrastes quidam, ἀντινεύοντα ἀλλήλοις) Gaza orbem inflexu mutuo colligere interpretatur. quasi ambo pariter incurvata (ut si quis brachijs ante pectus extensis in circulum coniungat manus) in orbem colligantur, nescio quàm rectè, in ea quam Sittardus misit effigie, cornu utrunque per se subtus aures cruvatum, γαμψόν, id est, aduncum potiùs quàm orbiculare apparet. Pleraque sanè huic Tauro cum Bisonte communia sunt, ut vel idem videatur, nisi cornuum figura obstet: vel omnino cognatus. authores qui Bisontis meminerunt, nihil de Bonasso: & contrà. Vide etiam sequentes cranei figuras.

BONASSI, ut conijcimus cranei figuram, cornibus à superiore differentem, ni fallor: quam Io. Caius ex Anglia ad me misit, hîc subijcere volui. Mitto ad te (inquit in epistola ad me) caput vasti cuiusdam animalis: cui nudum os capitis, unà cum ossibus quæ cornua sustinebant, gravissimi ponderis sunt, & iustum ferè attollentis onus. Cornuum curvatura ita se promittit, ut non rectà deorsum vergat, sed obliquè antrorsum. quod quia videri nequit in facie prospiciente, curavi ut appareret in avertente in latus. Spatium frontis inter cornua, palmorum Rom. trium est cum semisse. Longitudo cornuum, pedum est duorum, palmorum trium, & digiti semissis. (*Bonassus Aristotelis dodrantalia habet cornua, vel paulò longiora.*) In ambitu ubi capiti iunguntur, pedis unius & palmi semissis sunt. Huius generis caput aliud Varvici in castello vidi: cuius cornuum ossibus si ipsa cornua addas, multò fierent longiora, & alia figura atque curvatura. Eo in loco etiam vertebra colli eiusdem animalis est, tanta magnitudine, ut non nisi longitudine trium pedum Roman. & duorum palm. cum semisse circundari possit, &c. *Cranei huius iconem à pictore nostro inversam esse, Io. Caius postea per epistolam significavit. ego qualis reverà cornuum in eo situs sit, non satis assequor.*




BVBALVS Africanus Bellonij. Vidimus(inquit)in Cairo parvum bovem Africanum, forma corporis plena, parva, in se conferta, crassa, sed scitè expressa. Hunc statim Bubalum veterum Græcorum esse conjeci, notis omnibus. Advectus autem erat Cairum è regione Asamiæ: quamvis in Africa quoq; reperiatur. Ætate iam provectus erat, corporis mole Cervo inferior, plenior autem & maior Capreolo: membris omnibus tam scitè in se confertis & compactis, ut iucundissimum sui conspectum præberet. Pilus etjam cum coloris subflavi esset, præ splendore politus videbatur. idem sub ventre magis ruffus est ad subflavum inclinans colorem, quam in dorso, ubi ferè bæticus apparet. Pedes eius bubulis similes sunt, crura compacta & brevia. collum crassum & breve, palearia vix modicè præ se ferens. Caput, bouis: in quo cornua prominent à summo vertice, nigra, sursum erecta, & valde mucronata, (sicut in Gazella) & arcuata instar Lunæ crescentis: quibus non admodum defendere se posset, eò quod mucrones introrsum versi se invicem spectent. Auriculæ vaccinæ. Cauda pilis nigris vestitur, duplò maioribus quã setæ in cauda equi. Mugitus qui bovis, sed minùs altus. Sic ille. Nescio an idem fortè animal sit, quod nuper quidam ex Italia rediens, Florentiæ sibi visum referebat, Bovis Indici nomine, magnitudine iuvenci, colore flavo ferè ad ruffum inclinante: capite magno proportione reliqui corporis, oblongo: cornibus non altis, rectis, modicè suprà intortis quasi in spiras. parte circa lumbos multò humiliore. Sed fieri potest ut ille, cum obiter tantùm spectârit, non rectè omnia meminerit. Mansuetum hoc animal an ferum sit, non expressit Bellonius: ferum tamen esse hoc ipso, quòd Bubalum veterum esse conijcit, insinuat. Io. Leo in descriptione Africæ: Lant(inquit, capitis quidem inscriptio haber Lant vel Dant)similitudine Bovem refert: sed minor est cruribus cornibusque elegantior: colore albo: unguibus nigerrimis, tantæque velocitatis ut à reliquis animalibus, ptæterquam ab equo Barbarico superari nequeat. Faciliùs æstate capitur. Eius tergore clypei validissimi conficiuntur: quos nulla ratione præterquam sclopeti ictu traijcias. sed carè admodum uæneunt. Sic ille: & mox de alio bove sylvatico, cuius aliud nomen non exprimit: Bovem(inquit)refert domesticum, tametsi statura minor, leucophæi coloris, ipse etiam uelocissimus. In desertis solùm, uel desertorum confinijs reperitur. Carnem aiunt absoluti saporis esse. Quod si color conveniret, alterutrum istorum animalium, prius præsertim, Bubulum Africanum Bellonij esse diceres. Sed si aliud nihil obstet color solus hoc non efficiet, ut speciem diversam statuamus: Fortasse Lant Bubalis sit(inquit Scaliger) nam Plinius ambiguè Vitulo Ceruove similem facit. Ego sanè hunc Bubalum esse facilè persuadeor, quoniam alium hactenus non novi cui veterum descriptio æque conveniat: præsertim Oppiani lib. 2. de venatione: etiamsi minorem eũ facere videatur: nempe dorcade platycerote corpore inferiorem. Cornua quidem eius ita describit, ut non ramosa, sicut cervis & capreis: sed Rupicaprarum nostrarum cornibus similia, tum situ, tum in aversam partem retortis mucronibus, esse videantur, ad pugnam ferè inutilia. Author innominatus cuius Græcum de animalibus libellum manuscriptum habeo: Bubalum in Libya, inquit, partim bovi, partim cervo similem esse: non dormire: & alium ultra alpes prope Rhenum fluvium Bubalum esse, colore albo, sævum, uel, ut ipse loquitur. φόνιον.



CORNV incertum cuius bestiæ, catena suspensum ad columnam in æde summa Argentinæ: longum (filo ducto secundum hemicyclium à principio ad finem) quatuor ferè cubitos Romanos. Cultro cum raderem, cornu uerum esse apparebat. fuere nimirũ Vri alicuius vastissimi, ætate multùm provecti. illic quidem cuius sit animalis nemo scit. Crassitudinem sive circumferentiam basis oblitus sum metiri. Apparet ante annos quam plurimos (duo aut tria sæcula fortè) propter admirationem magnitudinis illic suspensum fuisse. Philippus rex Macedonum ad pedem Orbeli montis in Macedonia jaculo confodit Taurum ferum, & cornua ejus, orgyiæ vel (ut alij) sedecim palæstrarum longitudinis, in vestibulo templi Herculis consecravit. Plura leges inferiùs in Monocerote.

GERMANICE **Ein groß horn/hanget zu Straßburg in dem Münster an einer seül/jederman vnbekant/kläffterig: vieleicht von einem grossen alten Aurochssen.**



In hac Icone cornuum Ibicis interstitium meliùs exprimitur quàm sequente.



LATINE

LATINE Ibex, vel Capricornus apud recentiores. Capra fera Varroni. ἴξαλος αἴξ Homero. ἴξαλον autem interpretantur πηδητικὸν, ὁρμητικὸν, &c. è cujus cornibus ſedecim palæſtrarum, areum Pandari Lyciorum ducis factum meminit. Αἴξ ἄγριος Æliano lib.14.cap.16.qui in ſummis Libycorum montium ;verticibus eos cõmorari ſcribit, & ad boum (ſunt autem boves in Africa parvi, ut Io.Leo teſtatur) magnitudinem accedere, &c. Reperiuntur etiam in Creta, Agrimia vulgò. Quærendum, an idem ſit animal, cujus meminit Strabo ſub finem libri quarti, his verbis: Habent alpes Equos agreſtes & Boves: utq; memoriæ tradidit Polybius, peculiaris formæ belluam gignunt: figura quidem ad cervum accedente: collo duntaxat excepto & villis, in quibus capro (id eſt hirco: Græcè quidem legitur κάπρω, quod eſt, verri: ſed Polybium hæc à Latinis hominibus audiviſſe, & caprum Latinis aliud quam κάπρον Græcis ſignificare non obſeruaſſe conijcio) ſimilis eſt: ſub mento autem carnis globum (πυρῖνα) gerit, dodrantalẽ, in sũmo piloſum, craſſitudine pro equini pulli cauda.

ITALICE Stainboch, quæ vox eſt Germanica.

GERMANICE Steinbock: & fœmina priuatim Ybſch vel Ybſchgeiß vt apud Rhætos qui Italice loquuntur Veſina.



RVBICAPRA Plinio dicta. Poteſt & Capra fera vel alpina minor dici, ad differentiam. Ab Oppiano Αἴγαστρος dici videtur, vel potiùs Αἴγαγρος. Albertus Capram montanam nominat. Hæc aut ſuperior eſt Cretica illa Capra, quæ dictamni pabulo ſagittas quibus percuſſa fuerit, expellit. Ad has proverbium mala remittit, execrationem aliquam auertens κατ᾽ αἴγας ἀγρίας. Bellonio Cemas Æliani hæc videtur, quam deſcribit lib. 14. cap. 14. Libycæ cognomine, celerrimam, pilis ruffis & denſiſſimis valde hirſutam: oculis cyaneis, cornibus antrorſum tendentibus, ſpecioſis, in fluviis & aquis aliquando natantem, & in locis paluſtribus paſcentem. Sed hæc Dama Plinij potius, aut aliud ſaltem quam Rupi capra animal fuerit. Rupi capra autem, vel potiùs cognata & coloribus differens, quam eodem in capite Dorcadem Libycam nominat: celerrimam, ſed quæ equum Libycum non effugiat. capitur etiam retibus. Ventre albo (locus hic non eſt integer:) nigris per latera vittis, reliquo corpore ruffo aut flauo. pedibus longis, oculis nigris, (Rupicapræ rubros tribuit Albertus,) capite cornuto, auriculis prælongis. Sic ille. Dorcadi quidem, id eſt Capreolo, non cornibus, ſed pilo, ſtatura, habituque corporis cognata videtur. colore quidem etiam noſtræ non omnes nec ſemper eodem ſunt, rariſſimæ albæ.



ITALICE Camuza vel Camorcia.
HISPANICE Capra montes.
GALLICE Chamois. Rex Franciſcus veteri Gallico nomine vocabat VN YSARD, Bellonius. videtur autem id nomen Germanicum eſſe, à glacie factum. Scaliger in Pyrenæis ſic vocari ait.
GERMANICE Gemſz oder Gamſz.
POLONICE. DZYKA KOZA, id eſt fera capra.
BOHEMICE CORYTANSKY KOZLIK, id eſt, Carnicus vel Carinthiacus hirculus.

DAMA PLINII. Hæc icon Damæ eſt (inquit Io. Caius, qui eam ex Anglia ad me tranſmiſit,) quam ex caprarum genere eſſe, indicat pilus, aruncus, figura corporis, atque cornua: niſi quòd his in aduerſum adunca, cum cæteris in auerſum acta ſint. Capræ magnitudine eſt, & colore Dorcadis. Sic ille. & rurſus in epiſtola ad me: Eſt amicus quidam meus Anglus, qui mihi certa fide retulit, in partibus Britanniæ Septentrionalibus reperiri Damas illas, quarum effigiem ad te miſi. Plinij & Romanorum eſſe indicio eſt, quòd Romæ in columna quadam marmorea & triumphali ſuperſtite adhuc inſculpatur, & cum Pliniana deſcriptione convenit. Et rurſus in alia: Conveni tertiò amicum meum ſuper Dama Plinij: qui reſpondit certum eſſe in partibus Britanniæ Septētrionalibus eam reperiri, ſed adventitiā. Vidit is apud nobilem quendam, cui dono dabatur. Accepi à quibuſdam, eam in Hiſpania naſci. Plinius Damam & Pygargum ex Caprarum ſylueſtrium genere è regionib. tranſmarinis mitti ſcribit. Recentiores Damam vocant Dorcadam ſeu Capreā platycerotē veterum. Videtur eadem Cemas Libyca, vt in Rupicapra dixi.



GERMANICE Ein frömde art wilder Geiſſen/mit fürſich gebognen hörneren. Etliche ſagen ſie werden in Hiſpanien gefunden.

STREPSICEROS Bellonij: vel Ouis Cretica, vt Io. Caius coniicit. Oppianus Capras & Oues feras reperiri ait, non multo maiores mansuetis, cursu veloces, & validas ad pugnandum: capitibus armatis στρεπτοῖσι κεράεσσιν, id est, cornibus tortis, Strepsicerotes nimirum intelligens. Ex Caprarum syluestrium genere Strepsicerotes sunt. mittunt eos transmarini situs. Cornua eis erecta, rugarumq; ambitu contorta, & in leve fastigiū exacuta, (vt lyras diceres.) Addaces Africa appellat. Plinius. In Creta (inquit Bellonius) præsertim Ida monte, genus Ovis reperitur, quod pastores Strepsicerotem nominant: cui cornua non vt Ouibus communibus reflexa, sed omnino recta erectaq; vt vnicornis, spiris canaliculatis capreolorum instar intorta. nec aliud à nostris Ouibus differt, ne magnitudine quidem: & similiter, ut nostræ, gregarium est, & in magnis gregibus degit: cujus figuram nos primi, à nemine alio excerptam publicamus, Hæc ille. De Strepsicerote alio, proximè leges.

Strepsiceros Bellonij.



STREPSICEROTIS cornuum effigiē aliā Ioa. Caius ex Anglia pictam ad nos misit, (quā pag. seq. dabimus,) cum descriptione eorundem, quā hîc adijcio. Strepsicerotis cornua (inquit) tam graphicè descripsit Plinius, atque lyris tam appositè cōparauit, ut longiore verborum ambitu opus non sit. Ergo hoc tantum addam: ea esse intus caua, sed longa pedes Romanos duos, palmos tres, si recto ductu metiaris: si flexo pro natura cornuum, pedes tres integros. Crassa sunt ubi capiti cōmittuntur, digitos Rom. tres cū semisse. describuntur in ambitu palmis Rom. duobus & dimidio, eo ipso in loco. In summo, leuore quodam nigrescunt, cum in imo fusca magis & rugosa sint. Iam inde à primo ortu sensim gracilescunt, & tandem in acutum exeunt. Pendunt vnà cum facie sicca per longitudinē dimidiata, lib. 7. vncias 3. & semissem. Facies, quæ adhuc superest juncta cornibus, & frontis ceruicisq; pilus, loquūtur Strepsicerotē animal esse magnitudine ferè ceruina, & pilo rufo ad instar ceruini. Sed an nare & figura corporis ceruina sit, ex facie nihil habeo certi dicere, cum nares diuturni tēporis usu detritæ sint, & facies eadē de caussa hinc inde glabra sit. conijceres tamen ex eo quod superest eum propius accedere ad ceruū aut platycerotem. Hinc pictor ceruinas adjūxit nares Strepsicerotis faciei, exiguas scilicet & breuiores, quàm pro faciei magnitudine. Quod inter radices cornuum vides, pars colli est. Hæc Caius. Idem postea in Epistola ad me: Si Ouis Cretensis (inquit) seu Idæa, Strepsiceros sit, propter erectorum cornuum figuram, eadem opera & Monoceros erit Strepsiceros. At non propter versuram erecti, sed flexuram indirecti cornu vocatur Strepsiceros. Ita enim flexa vtraq; sunt, vt eorū curuaturæ faciant imaginem lyræ, ut rectè scripsit Plinius. Quamobrem imaginē adjunxi, ut inter Strepsicerotem & Ovem Cretensem, non tu solùm, sed & omnes qui eam viderint dijudicent. Talem autem antiquorum lyram esse vicissim & ex hac cornuū curuatura, & ex cœlesti lyra scire licet (etsi in chartis astronomicis aliter depinga-

tur) si dempto manubrio, aut pro manubrio supposito animalis capite, spaciũ inter cornua corpus esse lyræ, animo conceperis. Subus appellatur ab Aristotele (*Oppiano dicere debuit*) qui à Plinio Strepsiceros, inquit Io. Bodinus enarrans librum 2. Oppiani de Venatione: mihi hoc simpliciter affirmari posse non videtur: quando aliis versibus Oppianus, ut superius citavi, Strepsicerotis meminit. Subus quidem ei amphibia quadrupes est, piscibus victitans. videri autem potest ad sylvestre Ouium genus referri posse. nam statim ante historiam eius Oppianus de Ouibus feris Creticis egit, quas colore flavo vel purpurascẽte esse scribit, quadricornes: non lana, sed villo ferè caprino tectas. Et mox addit: Quinetiam Subus colore flauescit splendido, sed non æquè villis hirsutus est: & duo tantùm valida cornua supra latam gerit frontem. Quòd si non congeneres bestias istas existimasset, cõferre inter se atq; distinguere opus non fuisset. Sed conjectura hæc tantum nostra est: quam certioribus aliorum scriptis aut confirmari aut infirmari velim.

GERMANICE Ein art wilder Schaaffen in den bergen der Insel Candia / mag ein Wundhorn oder Straubhorn genennt werden / darumb das seine hörner geleich als ein Strauben gewunden sind.

GERMANICE Ein gehürn von einem frömbden gewild / welches mir der hochgelehrt Jo. Caius auß Engelland conterfetet zugeschickt. Die hörner sind also gekrümmet vnd gestaltet / das sie anzusehen / als ob die weite darzwischen gerad von einer violen außgefüllt wurde.


Strepsiceros Ioan. Caij



Alia eiusdem icon, cum imagine lyræ, quam cornuum interuallum repræsentat.



GERMANICE Ein horn von einem vnbekanntem gewild / welches ich gesehen in deß wolgebornen Herrn Wilhelmen Werners Graffen vnd herrn zu Zimbern schlosß (ein halb meil von Rotweil) sampt vil anderen antiquiteten / vnd seltzamen wunderbaren dingen.



Bestiæ cuiusdam mihi incognitæ cornu quale hîc exhibeo, vidi in arce Generosi Dn. Guilielmi Vuernheri Cimbrorum comitis, longitudine brachii, colore nigricans, baculi vel coli crassamento, leve, cavum ad dimidiam partem aut amplius. Addebat, ex fama nimirum, animalis bicornis esse: & bina huiusmodi inter anathemata rariora Ferdinandi Augusti extare.

TRAGELAPHUS Bellonij. Tragelaphus (inquit in Singularibus lib. 1. cap. 53. cujus nomen Gallicum nõ habeo) quod ad pilos Ibicem refert, sed barba caret. Cornua ei Caprinis similia, sed aliquanto retorta sicut Arieti. ea nunquam amittit. Rostro fronte & auriculis ouẽ refert, ut scroto etiam pendulo & admodũ crasso. Crura eius albicāt, ouillis similia. Cauda nigra, coxæ (femora) sub cauda albę sunt. Pilos tam longos habet circa stomachum & colli prona supinaq; parte, ut barbatus videatur. Pili etiam armorum (scapularum) & pectoris, longi ac nigri sunt, cum duabus maculis cinereis (griseis) vtrinque ad ilia. Nares nigræ, rostrum albũ, ut etiam totus venter infernè. Sic ille. Sed doctissimus Io. Caius noster hanc picturam cum nulla veterum Tragelaphi descriptione congruere iudicat. Mihi quidem Pygargus potius quàm Tragelaphus videtur. Sunt enim Pygargi, teste Plinio, ex Caprarum sylvestrium genere, quas transmarini situs mittunt. Deuteronomij cap. 14. Dischō

Hebraicam



Hebraicam vocem, Septuaginta & Diuus Hieronymus interpretātur Pygargum, inter quadrupedes puras. Obſcurus quidam author animal cornutum, & inſtar Hirci barbatum eſſe tradit, magnitudine inter ceruum & hircum, ſimile Hircoceruo. In eo certè quod Bellonius deſcribit animali, partem ſub cauda & clunes coxáſve albi coloris eſſe, Pygargi nominis interpretatio videtur. Nihil aut parum ab hac quadrupede differre videtur Muſmon Sardiniȩ, de quo proxime.

GERMANICE Ein frömbde art wilder Böcken/ mit langem haar vmb die bruſt: von den alten Griechen Weißarß genannt.

MVSMONIS effigies ad viuum expreſſa: quam à Genuenſi quodam mercatore acceptam Theodorus Beza nobis communicauit. Vocant autem in Sardinia vulgò Muflonem. Eſt in Hiſpania, ſed maximè Corſica, non maximè abſimile pecori (id eſt Ouibus) genus Muſimonum, caprino villo quàm pecoris velleri propius. quorum è genere & Ouibus natos priſci Vmbros vocaverunt, Plinius. Strabo quidem Græcè Muſmon (Μούζμων) duabus ſyllabis ſcribit, non tribus ut Latini quidam. Muſimon, aſinus, mulus, aut equus breuis, Nonius. Dicti ſunt autem iſti forſitan Muſimones, quòd iiſdem ex locis haberentur, vnde Muſimones oves vel capræ ſylueſtres, nempe ex Hiſpania, vel Sardinia. Hirci ſylueſtres Sardiniæ, magnitudine ſunt qua hirci aliarum regionum, (pectore per quàm hirſuto.) Cornua eis non protenduntur à capite à ſe inuicem diſſita, ſed ſtatim juxta aures revoluuntur. Celeritate quidem beluas omnes ſuperāt, Pauſanias. In Sardinia & Corſica naſcuntur Arietes, qui pro lana pilum caprinum producunt, quos Muſmones vocitant, Strabo. Capris Sardiniæ cubitales innaſci pilos Nymphodorus tradit: videtur autē Muſmones intelligere. Ophiona quoque Plinij, cujus mentionem ſe apud Grȩcos reperiſſe ſcribit, non alium quàm Muſmonem eſſe, planè aſſeruerim, cum Sardiniæ peculiaris ſit, ceruo minor, pilo demum ſimilis. Hodie quidem, nomine etiam congruente Muflo (vel, ut alij ſcribunt Mufron) nominatur. Interiiſſe certè ſuſpicari, ut Plinius, abſurdum dixerim. Idem aut proximum Muſimoni videtur animal, cujus Hector Boëthius in Deſcriptione Regni Scotiæ meminit his verbis: Hirthæ inſulæ Hebridum poſtremæ adjacet alia quædam ſed inhabitabilis inſu-



ſula. In ea animalia quædam ſunt, Ovibus forma haud diſſimilia: cæterum fera, & quæ niſi indagine capi nequeant: pilos medios inter Oves & Capras ferentia, neq; molles vt Ovium lanam, neque vt Caprarum duros. Nec alterius in ea generis vllum pecus viſitur. Tragelaphus Bellonij proxime exhibitus, perparum à Muſimone differre videtur: ut, ſi quid intereſt, ſpecies duæ vnius generis proximi videātur.

GERMANICE Ein art wilder Böcken oder Schaaffen auß Hiſpanien oder Sardinien / dem negſtgemelten gantz gleich / wo es mit eben einerley iſt.



APVD Scythas & Sarmatas quadrupes fera eſt, quam Colon (κόλον) appellant. magnitudine inter ceruum & arietem, albicante corpore: eximiæ ſupra hos leuitatis ad curſum. Naribus potans trahit ad caput, hinc poſtmodum complures ad dies ſeruans, adeò vt per carentes aquis agros facilè pabulum carpat. Strabo libro 7. Sniatky (*melius Sulac, à quo literis tranſpoſitis nomē Colus factum videtur*) apud Moſchobios vulgò nominatur animal ſimile Oui ſylueſtri candidæ, ſine lana, capitur ad pulſum tympanorum, dum ſaltando delaſſatur, vt doctiſſimus Sigiſmundus Gelenius nobis retulit. Colos quidem nomen à Moſcovitico neſcio quid ſignificante factum apparet. Callixenus Rhodius in deſcriptione pompę Ptolemæi Philadelphi in Alexandria exhibitæ, inter cætera memorat σιμωειδὰς τράγων ἑξήκοντα, κώλων [fortè κόλων] δεκαδύω. κόλον quidem etiam grammatici Hircum mutilum interpretantur. Apud Tartaros (inquit Matthias à Michou) reperitur Snak animal, magnitudine Ovis, in terris aliis non viſum, lana (*pilo dicere debuit*) griſeum, duobus parvis cornibus præditum, curſu velociſſimum. Carnes ejus ſuaviſſimæ. Horū animalium grex cum alicubi inter gramina in campo conſpicitur, imperator Tartarorum cum equitibus ſuis eum circundat, in altiſſimis graminib. deliteſcentem. Et cum equites tympana incipiunt ſonare, Snaccæ tanquam metu perculſæ rapidiſſimè huc illuc ab vna parte circunſtantium ad alteram procurrunt, idq; toties donec præ laſſitudine deficiant. & ita ab irruentibus Tartaris cum clamore occiduntur. Ex epiſtolis Anton. Schnebergeri, quas Cracovia ad me dedit: Magnificus Dominus Ioan. Bonar de Balice, liber Baro, &c. in ædibus ſuis mihi oſtendit duo cornua pellucida ferè inſtar laminæ corneæ, (*præſertim ſuperiore ſui parte,*) cornibus Ibicis non diſſimilia. Animal dicebat forma & magnitudine Oui ſimillimum, maximæ celeritatis, inveniri in finibus Podoliæ principatus: neque capi, niſi multitudini militum includatur vt effugere non poſſit. Et rurſus: Vocatur hoc animal à Tartaris Akkijk albo Vwana, à Turcis Akoimm. Turci è

cornibus

cornib.auriſcalpia & dentiſcalpia faciunt, & cultellorum capulos. Inuenitur circa Neprum fluuiũ, Negeiska terra, in Tartaria, Polonis Nehiska dicta. ſemper in cãpo agit, niſi alta nix ſit: tunc.n. ſyluas ſequitur, ubi facillimè capitur, atq; etiam baculo occiditur. Gregatim degunt circiter 500. à paſcatis feſto interdum ad 2000. congregantur. coloris ſunt cinerei, pulli verò eorũ fulvi: roſtro in acutum porrecto vt porci. Pariunt plerũq; gemellos poſt paſcha: famis patientiſſimi, frigoris non item. Lupi niuis tẽpore plurimũ eis nocent. Cornibus equum perforant, ſi ventrem attigerint. Martio menſe effodiũt radicem quãdam, quæ vel odóre ſuo libidinẽ eis excitat, & vim genitalẽ adauget. Cornu raro duobus digitis quàm id quod ad te mittitur, lõgius reperitur. Cornua etiam fœminæ gerunt. rariſſima ſunt recta nec circũtorta. quòd ſi diutius ſolem & pluuiã ferant in agris jacentia, ligneſcunt. In Turcia cornu unum quatuor ſolidis Cracouiẽſib. vænit. Qui hęc mihi dictabat, propria manu ad 200. interfeciſſe ſe affirmabat. Ex epiſtola, qua me dignatus eſt illuſtris vir Dn. Io. Bonar. de Balicze, liber Baro, &c. vir ut auita nobilitate, ita eruditione varia, & omni virtutum genere ſummus, à quo etiam cornu dono accepi. Cornu miſſum à me gratũ tibi fuiſſe gaudeo: ipſius verò feræ iconem integrã non facilè tibi polliceri auſim: conabor tamen quantum potero ut haberi poſſit. In campis Ponticis, ubi ſunt maximæ planicies, in quibus præter cœlum & terrã nihil conſpici poteſt, iſti Sulaci gregatim agunt, velocitatis ac libidinis immenſæ: itaq; aliquando Venere exhauſti, contractis (*aut reſolutis*) omnib. neruis, per horas 24. ſemimortui, amiſſo pedum vſu, humi proſtrati jacent. neq; ante horas 24 liberantur, niſi herba quadam guſtata. quam ſi in proximo fortè naſcentem rependo contigerint, illicò ſibi reſtituuntur. Sic affecti interdũ deprehenduntur. Quòd ſi aliquando turmæ equitum ſereniſs. regis noſtri, (quę cuſtodiã agunt, & per illos campos quà tranſire Tartari ſolent, obequitant, vt eos à prædatione arceant, vel inſidiis venientes excipiãt,) gregem iſtorum animaliũ circundare poſſunt, nõnulla ex eis cõficiunt ſagittis, cornuaq; (rariſſimum etiam inter nos munus) acquiruntur. Quòd ſi quando animal viuũ capiatur, omnis manſuefactionis impatiens eſt. Hæc ille. Cornu autem quod ab eo accepi, tale eſt: Longũ digitos 16. id eſt, palmos quatuor: cum aliàs modicè inflexum, tum mucrone retorto. Solidum eſt totum, craſſitudine baculi inferiùs, (ſex pollicũ ambitu,) quæ mucronem verſus magis magiſq; attenuatur. Vncias appendit 9. Corneæ laminæ inſtar tranſlucet ad ſolẽ aut lumen, præſertim circa medium & inde ad ſummũ vſq; quæ cãdicat: inferior.n. pars craſſa & fuſca non tranſlucet. Circulis vel nodis in orbem eminẽtib. liratim, non ſpiratim 13. aut 14. ambitur, quorũ tres ſummi imperfecti ſunt: ſuperficies lævis & ſplendida eſt, ſũma præſertim quę per 4. aut 5. digitos nodis vacat. Cornuũ ſitũ & corporis iconẽ ſecundũ deſcriptiones propoſuimus ex cõjectura.

Germanice Ein art gewilds / einem Schaaff geleich / wirt gefunden in Tartaria / bey den anstössen an Poland / aschenfarb / an gestalt vnd grösse einem Schaaff geleich / in Poland genennt Sulac.

Latine Camelopardalis, vel Camelopardus, vel Camelus Indica, vel Ouis fera. Giraffa (aliàs Gyrapha, Girapha) recentioribus: aliquibus Zirafa, Orafius, Oraflus, Anabula. Animal eſt (inquit Io. Leo Africanus) adeò ſylvaticum vt raro videatur. in ſylvis ac deſertis latet. hominum conſpectum fugit, quanquam non eſt magnæ velocitatis. capite Camelum refert, auribus bovem, pedibus. * Parva tantùm & recens nata à venatoribus capitur. Georgiani regni incolæ aſſerunt Camelopardalim in vallibus quibuſdam ſuæ regionis inveniri, Paulus Iovius. Ab Æthiopibus Nabis dicitur, à Perſis Girnaffa. Nihil habet Cameli præter collum. Nõ vnus omnib. color, &c. Caput cervinum, cornicula Capreoli. Lingua purpurea, penè tripe-

dalis, teres. hac herbas & frondes legit tanta celeritate, vt oculos penè fallat. Collũ ad 15 pedum pertingit altitudinẽ. anteriora crura aliquanto prociriora, quàm quæ Equi maximi. posteriora valde brevia, vt ei dorsum declive sit ad clunes, quas astrictas habet, vt Asinus: cuius etiam caudã sua cauda refert. Contrà latissimo pectore est. Hæc Scaliger. Oppianus caudam Dorcalidis, id est, Capreoli, ei tribuit, nigris in extremitate pilis hirsutã aures exiguas. Cornua exilia, rectà procedẽtia. Icon quã exhibemus sũpta est ex Italico libro, typis vulgato, authoris innominati, quo Terra sancta describitur.



Cameli Indicæ iconem hanc mutati sumus olim ex libro quodam typis impresso innominati authoris qui Terram sanctam Italicè descripsit. Aliam meliorem quæres in fine huius libri.

Strabo hoc animal non θηρίον, id est, feram, sed βόσκημα, id est, pecus vel pecudem esse tradit: quod ita accipio, moribus eam pecudum instar placidis, earumq; ritu βόσκεσθαι, hoc est, herbis & frondibus pasci, homini & aliis animalibus innoxium. Diversum confusa genus Panthera Camelo, Horatius. ex recentioribus etiam Grecis innominatus quidam scribit, nasci hoc animal ex parentibus genere diversis: quod mihi non videtur, &c. Nabim Æthiopes vocant, collo similem Equo: pedibus & cruribus Bovi, Plinius. qui & Camelopardalim dictam scribit, ab albis maculis rutilum colorem distinguẽtibus.

ARABICE Serapha, vnde cæteræ gentes pleræq; omnes Giraffam, vel Zirafam nominant.

GERMANICE Giraff/ein frömb thier auß India/rc. Mag ein Kamelpard genẽnt werden: darumb daß es mit dem kopff vñ halß eim Kamelthier gleich ist/mit den flecken aber einem Leopard: vornen gar hoch gesetzt/hinden nider.

ALLO camelus Scaligeri. Animal est (inquit) in terra Gigantũ, capite, auriculis, collo Mulæ: corpore Cameli, cauda Equi, Quamobrem ex Camelo & aliis compositum Ἀλλοκάμηλον appellavimus. Sic ille. Apparet autem hoc ipsum esse, cuius figuram proponimus, ex charta quadam typis impressa mutuati, cum hac descriptione: Anno Domini 1558. Iunij die 19. animal hoc mirabile Mittelburgum Selandiæ aduectum est, antehac à principibus Germanię nũquam visum, nec à Plinio aut aliis antiquis scriptorib. commemoratum. Ovem Indicam esse dicebant è Piro *(fortè Peru)* regione sexies mille miliaribus



bus ferè Antverpio distante. Altitudo eius erat pedum sex, longitudo quinque: collum cygneo colore candidissimum: corpus (reliquum) ruffum vel puniceum. pedes ceu Struthocameli: cujus instar urinam quoque retro reddit. Hoc animal (erat autem mas, ætatis annorum quatuor) Theodoricus de Neus civis Coloniensis ad Rhenum, Cæsareæ maiestati adduxit & obtulit. Hæc hactenus vt in Scheda illa leguntur, Noribergæ, vt conijcio, excusa. in qua civitate hanc bestiam sibi visam amicus quidam nobis retulit. Eam quāvis non cornutam, hoc loco post Camelopardalim dare volui, quòd quàm plurima ei communia habeat: & nomen Ovis similiter, non ab aliqua corporis similitudine, ut apparet, sed ob similem morum mansuetudinem in tanto corpore miram.

LATINE	Cervus.	ITALICE	Cervo.
GALLICE	Cerf.	GERMANICE	Hirsch.
Fœmina verò LATINE	Cerva.	ITALICE	Cerva.
GALLICE	Biche.	GERMANICE	Hinde/oder Hindin.

CERVUM recēs natum νεβρὸν dixerim paulò adultiorem κεμάδα, deinde πατταλίαν, postea ἔλαφον postremò κεράστην aut ἀκάστην, &c. Vidi hodie in regio conclavi maxima cornua cervi ex quercu arbore egredientia seu nascentia miro modo. in altera (posteriori) namq; parte prima vertebra colli adhuc eminet: antrorsū nihil nisi utrinq; duo infimi rami cornuum egrediuntur, reliqua pars sursum tendit, &c. Curabo depingi, & ad te mittam cum diligenti descriptione. est enim res admiranda: Antonius Schnebergerus in suis ad me literis è Vilna Lithuaniæ datis, quarto Augusti anno 1559. Cornua Cervo post annum sextum nihilò numerosius ramificant. Quin senibus duo desunt rami, qui prima statim prodeunt ætate, quos ἀμυντῆρας Græci, Latinè minus benè adminicula, melius prosubulas dixeris: quia & alijs surrectis prostant: & primorum faciem gerunt, quas Latini subulas in anniculis appellant: unde & ipsos, Subulones, Scaliger. Vide cum sequente figura.



Cervus.

Cerva.





Cervis bimis cornua primùm oriuntur ſimplicia & recta, ad ſubularum
ſimilitudinem, quamobrē Subulones (πατταλίαι) per id tēporis eos vocāt, Ariſt.
Ego ſubulonis cerui cornua vidi dodrantis circiter longitudine, nullis admi-
niculis, (lege quæ proximè retro ſcripſi de Ceruo) noſtri vocāt ein Spies: Fur-
carij verò vulgò dicti, hoc eſt, trimi (ein Gablers) duorum & amplius dodran-
tum. quadrimum demum, Ceruum appellant, ein Hirſch. Sed ſpecies alia Cer-
uorum reperitur, qui ſemper Subulones ſunt: hoc eſt, directa ſimpliciaq; & ſi-
ne ramis cornua gerunt. Ego cum aliquando putarem, ita vt in veterum libris
legeram; Subulones non alios eſſe quàm Ceruos bimos, ea de re cum Sabáu-
do quodam Seguſiano, viro literato, diſputavi, rogaviq; ut ad ſuos reverſus rē
omnē diligentiſſimè mihi perſcriberet, id quod is paulò poſt præſtitit, his ver-
bis: Superioribus diebus, cum noſtræ diſceptationis de Ceruis in mentē ve-
niſſet, ſtatim ad eos qui ab ineunte ætate in venatione conſenuerant, me cō-
tuli, quos aliquando ſuper hac re audieram, vt iterum eos ſedulò conſulerē,
cū etiam ex ipſis quoſdā habeā familiariſſimos. Quibus perſuadere adnixus
ſum, Brocardos ceruos eſſe, ceruorū hinnulos, ut tandem noſtra altercatione
huius rei clarior patefieret veritas. Sed rationib. vtrinq; agitatis, oēs qui vena-
tionis ſunt peritiſſimi, Brocardos ceruos alterius generis eſſe aſſerunt, præſer-
tim in monte Iura. Nam in ſyluis Galliarum nunquā tales inveniuntur, quā-
uis Galli ceruorum hinnulos, Brocardos vocare ſoleant. In monte verò Iura

ad Lacum

ad lacum Lemanum Brocardi ab aliis ceruis genere differunt: quod hisce rationib. probant. Primũ tales cerui nunquam habẽt ramosa cornua, neq; senes, neq; iuuenes: sed in quolibet cornu vnus est ramus, satis longus, gracilis tamen, & vnius digituli crassitudine, & vno acumine. quare alios ceruos ramosos (qui cornua ramosa seu bifurcata habent) facile vincunt, cum ceruæ sunt in amore. Deinde ubi consenuerint ex dentib. dignoscuntur. Nam venatores, seniores ceruos, ex dentib. cognoscunt; qui, vbi consenuerint Brocardi, non tamen cornua mutantur. Præterea cum sint aliis ceruis magnitudine æquales, tamen corpore sunt graciliori, & cursu perniciores. Adde etiam, quòd cum venatores persequuntur, non sæpe latitant, sed penè continuum faciunt cursum, aliquando tamen adventum venatorum aurib. obseruāt. Et si sint plures cerui simul (ut sæpe fit) cum venatores sequuntur, si quis sit Brocardus, Cerui ramosa habentes cornua fugiunt simul, deinde aurib. aduentum venatorum obseruant, & latitant in opacis. Quòd si venatores prætereant ramosos Ceruos, dũ latitant, illi statim fugientes retia, retrocedunt, & relictis venatoribus, canibus ac retib. evadunt. Sed Brocardi fugiũt quidem, verum alios Ceruos ramosos non diu comitantur in fuga aliorum more, nec sæpius latitant vt retrocedant, sed pedib. & fugæ fidentes ad retia facilius adiguntur, quocirca facilius capiuntur, nisi saltu transiliãt sæpes, aliis evadẽtib. In sylvis nostris quæ sunt ad Romanum Monasteriũ & Orbã & juxta lacũ Lemanũ in via quæ ducit in Burgundiam versus oppidulũ Pontali Burgundicũ, cerui ramosi frequentius vnum Brocardum secum habent, quem nostri venatores ceruorum scutiferũ appellãt, eò quòd per ipsum cerui ramosi euadant: quia cerui Brocardi fugiunt nec latitãt sæpe. quocirca canes venatitij facilius Brocardum sequuntur, relictis ceruis ramosis latentib. & sic Brocardus capitur, & ramosus euadit frequentius. Postremo venatores asserunt carnes Brocardorum, ramosorũ carnibus esse multò suauiores atque delicatiores. Istis rationib. & aliis multis facile est iudicare, duas apud nos, id est, apud Segusianos, (qui supra Lacum Lemanum habitamus) esse ceruorum species. De cerua autem Brocardi fœmina nihil inuenio, nisi quod inueniuntur cervæ cornutæ cornua bifurcata minimè habẽtes aut ramosa, sed vnius digituli lõgitudine: quas quidem ceruas Brocardorũ fœminas esse putarim. Sed istuc asserere non audeo. Id tamen scio, ceruas minime cornutas fugere Brocardos solitas. nam lubentius cum ramosis coëunt: quo fit ut Brocardi sint rariores: primũ quòd facilius capiũtur: deinde quòd nõ tam libenter in coitu admittuntur. An. 1553. iuxta Romanũ Monasterium venatores æstate viderunt ceruũ ramosum, ceruã, & Brocardũ simul: sed cũ Brocardus ultra fluuium per saxa saltare tentasset, ob fractã tibiã, captus est. Hactenus Segusianus ille. Misit aũt nuper ad me huius Ceruorum generis cornuum tria paria Gilbertus Cognatus Ecclesiastes Nozerethi, vir vndiquaq; doctiss. quorũ effigiem in fine hujus voluminis ponemus, maxima duos dodrãtes longa sunt, minima unum. omnium pars capiti vicina inæqualis & tuberosa est. maxima in processu magis diuaricantur, in summo rursus mucrones ad sese recurvantur, vt species tota modicè instar arcus inflectatur. Minima non divaricãtur, & cũ propemodum rectà procedant, superius per quàm modicè curuantur. Omnia post initium (quod tuberosum esse dixi) prorsus læuia sunt, non solum absq; ramis, sed tuberculis etiam prorsus vacua: quo nomine à Caprearum & Ceruorũ cornibus facilè discernuntur. Hoc etiam interesse opinor, quòd cornuũ radices osseæ intra cutẽ latentes, in hoc genere quam Ceruorum simpliciter dictorũ longiores sint: & quòd cornuum basis, hoc est proxima supra cutim pars, in Ceruis tanquam circulus magis prominet, à superna parte distinctus: in his non item, sed paulatim sursum attenuatur. Sed hæc melius distinguent, qui cornua plura vtriusq; generis inter se contulerint: quod nobis non licuit. Nos interim Burgundicos istos ceruos, anamyntas cognominabimus, quoniam non solum cęteris ramis, sed iis etiam quos amynteras vocant, carent: donec aliud commodius antiquiúsve nomen docuerit alius.



In arce Generosi Cimbrorum comitis Guilielmi Vuernheri, cornua hæc vidi
quorum effigiem pono, nullis præter amynteres ramis: vnde monamyntas
cognominare licebit. pars supra amynteres brachij longitudine erat, tan-
quam Cervi ferè adulti. An verò peculiare aliquod genus hoc Cervo-
rum sit, & ramos alios nunquam producat: an potius subulo grandis,
quantus rarò inveniatur, non facilè dixerim. His ego similia domi ha-
beo: sed in alterius tantum cornu parte inferiore, supra adminiculum,
ramus parvus est.

TRAGELAPHUS quorundam. Tria dicunt es-
se Ceruorum genera venatores nostri (in-
quit Ge. Fabricius, qui etiam iconem hanc
misit) non singulari quidem naturæ discri-
mine: sed aliquo tamen, nominis, formæ, vi-
rium. Primum illud notum omnibus, diligenter ab authoribus
descriptum. Alterum ignotius, quod Græco nomine Tragelaphus dicitur: priore
maius, pinguius, tum pilo densius, & colore nigrius: vnde GERMANIS à semiusti
ligni colore Brandhirsch nominatur. Hoc in Misenæ saltibus Boëmiæ vicinis ca-
pitur. Tertium genus quod reliquorum ceruorum more non amittit cornua: hoc
castratis accidere ait Plinius. (*Cervi, si, cum per ætatem nondum cornua gerunt, ca-
strentur, non ædunt cornua: sed si cornigeri exciduntur, non decidunt cornua, &
magnitudine eâdem servantur, Aristot.*) sed & vitio accidere affirmant qui fe-
ras apud nos consectantur. Ceruo enim fuga sitique fesso, & flumini se commit-
tenti, in ipsoq; anhelitu auidiùs bibenti, pinguedinem qua abundat resolui & dif-
fundi aiunt: ex eoque aut mori eum, aut superstes si sit, cornua ei nunquam deci-
dere: idq; fieri eo maximè tempore, cum ardentissimè fœminam appetit. Hoc
genus Cerui proprio nomine ein Kummerer appellant. Hæc Fabricius: qui simul
etiam eruditissimi viri Ge. Agricolæ literas ad se mihi communicauit: quibus il-
le suam de Tragelapho sententiā exponit, his verbis. Tragelaphus ex Hirco & Cer-
uo nomen inuenit. nam Hirci quidem instar videtur esse barbatus, quòd ei villi ni-
gri sint in gutture & in armis longi: Cervi verò gerit speciē. eo tamen multo est cras-
sior & robustior. ceruinus etiam ipsi color insidet, sed nonnihil nigrescens. verun-
tamen suprema dorsi pars cinerea est: ventris, subnigra, non ut Cerui candida: atq;
illius uilli circa genitalia nigerrimi sunt. Cæteris non differunt. uterq; est in nostris
syluis. Sic ille. Ego in huius Cerui cornibus, apud ciuem quendam nostrum, mu-
crones siue ramulos supremos (qui bini alioqui plerunq;, aut terni spectantur) se-
ptenos obseruaui: & eâdem parte stipitis latitudinem sex digitorum. inferius autē
erant & alij bini rami & adminicula. vnde hunc Ceruū palmatum esse, cuius men-
tionem fecit Capitolinus, suspicabar. Sed plura de Ceruo palmato cum proxima i-
cone dicemus. In Anglia ceruos nigricantes reperiri audio: qui an ijdem sint cum
illo, cujus effigiem hîc posuimus, non sum adhuc certus. Britannicos à Capitolino
nominari conjecerim albos ceruos: nā hoc etiam colore in Anglia haberi aiūt: &
Pausanias albos Romę sibi visos scribit, (in spectaculis nimirum è Britannia adue-
ctos.) Tragelaphus eâdem est qua Ceruus specie, barba tantùm & armorum villo
distans, (*Arist. etiam cornib. distinguit,*) non alibi quàm juxta Phasin amnem na-
scens, Plin. at Diodoro Tragelaphi & bubuli nascuntur in Arabia. exhibitus quidē
hîc Ceruus, quāuis circa guttur & armos, villis tegitur longis, non tamen barba-
tus videtur, ut neq; Bellonij Tragelaphus, quē potius Pygargū esse diximus ex Ca-
prarum syluestrium genere. Hunc verò Ceruū, quoniam cæteris major est, Achai-
nam cognominemus licet; sic enim veteres ceruorum majorum genus ab Achæa
Cretæ civitate nominarunt. Non desunt Grammatici eosdem ceruos σπαθινιαίας di-
ci interpretantes. Ceruorum fœtus νεβροὶ dicuntur: paulò adultiores κεμάδες: postea

ἔλαφοι.

ἔλαφοι. Fortè verò etiam ἀχαιίναι & σπαθῖναι dicti aliquo ætatis, aut ſpeciei, aut magnitudinis diſcrimine differunt. grammatici quidē ut ἀχαιϊνέην ἔλαφον quis ſit interpretētur, multum ſunt occupati, Euſtathius in Iliad. ϑ. Quærendum autem an eadem ratione Spathinæ cerui à Grecis dicti cognominatíve ſint, qua apud Latinos palmati. quoniam Spathe, ut Pollux teſtatur, pars palmę eſt à qua fructus dependent: & Spathæ inſtrumenta quædā, altera parte latiuſcula, nominantur: item textoria & gladij, eandem partem Dioſcorides elaten vocauit: quod nomen etiam latiori remorum parti tribuitur, quam Latini palmulam dicunt. Aliqui Achainen deducunt παρὰ τὸ ἄχος: id eſt, à mœrore: & interpretātur triſtem propter fœtus adhuc paruos & nondum exire valentes è latibulo. quòd ſi proba hæc deriuatio eſſet, congrueret cum Germanico Cerui nomine **Kummerer**, ſimiliter à mœrore dicti, quanquam aliam ob cauſam, ut dictum eſt.



Tragelaphum ab Ariſtotele Hippelaphum dici apparet: ut Raphaëli Volaterrano etiam videtur: quoniam & peregrinum facit, & eadem quę Plinius Tragelapho tribuit: barbam nempe, & armos villoſos, & cerui ſimilitudinem tū corporis magnitudine, tum quòd fœmina in eo genere cornibus caret. Hippardium (inquit) & Hippelaphus tenuiſſimo iubæ ordine à capite ad ſummos armos crineſcunt. proprium Hippelapho villus, qui eius gutturi modo barbæ dependet. Gerit cornua utrunque, excepta fœmina Hippelaphi: & pedes habet biſulcos. Magnitudo Hippelaphi non diſſidet à ceruo. Gignitur apud Arachotas. Et alibi, Satis jubæ ſummis continet armis, forma partim equi, partim cerui. Cornua ei Capræ proxima. Sic Ariſtoteles. Cerui quidem ſimilitudinem utriq; in hoc animal viderunt, tum qui Tragelaphum vocarunt, id eſt, Hircoceruum, propter jubam. Volaterranus non rectè (puto, in Æliano enim meo non reperio) ex Æliano citat, Tragelaphum cætera ſimilem Ceruo eſſe, barba tantùm & armorum uillo propiorem Hirco: quod ſolus, ni fallor, Plinius ſcripſit. Albertus ramoſa & ceruinis ſimilia cornua Tragelapho tribuit, ſed ſine authore. Recentiores quidam obſcuri Pygargum aiunt animal cornutum & barbatum eſſe Hirci in ſtar, minus Ceruo, maius Hirco, ſimile Hircoceruo, ſed longè minus. Bellonius cum Platycerotem deſcripſiſſet, eiuſque cornua magna in aſcenſu arcis Ambauſij in Gallia ſpectari dixiſſet: addit, ibidem etiam alterius beſtiæ hujus generis effigiem videri in lapide ſculptam, cum cornibus veris,

quæ

quæ animal viuum geſtaverat, adjunctis, barbatam ibicis inſtar: quæ forſan Ariſtotelis Hippolaphus ſit. Ergo Cerui ſpecies quam hîc proponimus, non videtur eſſe Tragelaphus: ſed Ceruus Achaines aut ſpathines, Latinè forſan palmatus. Grãmatici Ceraſten, Ceruum interpretantur, magnis præditum cornibus: ſed non puto authorum quẽquam abſolutè hoc vocabulo uti. nos apud Pollucem κεράστην inter epitheta Cerui pro cornuto legimus, κατ' ἐξοχὴν quidem accipi nihil prohibet.

Germanice Brandhirſch.



Caput hoc Io. Caius in Anglia depictum ad me dedit. Videtur autem (inquit) eius animalis eſſe, quod Iulius Capitolinus Ceruum palmatum ex argumento vocat. Eius ſi non eſt, alicuius ex genere Platycerotum fuerit. Verùm quòd cornua hæc aut æquant aut ſuperant & longitudine & craſſitudine ceruina, & latitudine excedunt Platycerotis cornua, conſonũ eſt corpus animalis Cerui potius, quàm Platycerotis ſimile eſſe. Hæc ille. Ego Ceruos palmatos, quorum ſolus Capitolinus meminit, aliquando eſſe coniiciebam quos vulgò Damas vocant, (aliæ enim ſunt veterũ ſeu Plinij Damæ,) Græci Dorcades Platycerotes. nam cum Platycerotes Cerui (Cervis quidem Oppianus adnumerat) Latinum nomen aliud non habeant, & cornua eorum (vt Plinius ſcribit) natura in palmas finxerit, digitoſq; emiſerit ex iis, Cerui palmati meritò appellari poterunt. Tragelaphus etiam quorundam de quo proximè retrò dictum eſt, cum ſumma cornua lata, & veluti digitata habeat, & à Græcis (vt conijcio) σπαθίνης cognominetur, ſpatha autem arboris palmæ pars quædam eſt (vnde & aliis quibuſdam in latitudinem ex anguſto diffuſis nomen) Cerui palmati nomine dignus videtur: ſicuti & Tarandus ſiue Scythicus ceruus, de quo ſenſiſſe videtur Cæſar lib. 6. de bello Gallico, cum ſcribit: Eſt (in Hercynia ſylua) bos cerui figura, cuius à media fronte inter aures vnum cornu (*falſus eſt: ſunt enim bina*) exiſtit, excelſius magiſque directum his, quæ nobis nota ſunt cornibus. ab eius ſummo ſicut palmæ ramiq; latè diffunduntur. Præcæteris tamen exhibita nobis à Caio cornua Cerui palmati per excellentiam dicendi eſſe videntur: non enim ſuperiore ſolùm parte palmata ſunt, ut Achainæ & Platycerotis: ſed ramis omnibus, nempe tribus, ſimiliter: ſicut & Tarandi fere, cuius cornibus paulò pòſt exhibendis, qui hæc contulerit, cognationem aliquam eſſe animaduertet.

Germanice Ein gehürn eins frömbden gewilds / welches contrafactur mir auß Engelland zugeſchickt iſt: von der art der Hirſchen / dem Renner änlich / ꝛc.

CAPREA, Capreolus & Dorcas, tria nomina animal vnũ denotãt. quanquã nõ indocti quidam, inter quos etiã Scaliger omnis doctrinæ exemplar, Capream à Capreolo distinguunt: ita ut hic sit qui Italicè etiamnũ Capriolo dicitur, Gallicè Chevreeul, cornib. ramosis: Caprea vero capra syluestris alpina, quã Plinius priuatim Rupicaprã dixit. quod nomẽ Scaliger commune facit ad Capreã



suam & Ibicem, sed sine authore. Plinius certè Capreis cornua ramosa esse tradit, sed parua, neç decidua: ego verò non soli ceruo, (ut Aristoteles tradit,) sed etiam cæteris quorum cornua sint ramosa, decidere puto omnibus. Idem tamẽ vbi Aristoteles Capreas syluestres in Africa reperiri negat, capreas (simpliciter) interpretatur, oblitus nimirum sui: alibi quidem πρόκα videtur Capream interpretari. Martialis etiam cum canit:

Pendentem summa Capream de rupe videbis:
Casuram speres, decipit illa canes,

de Rupicapra sentire videtur. Ego omnino inter Capream & Capreolum, non aliã quàm vel ætatis, vel sexus differẽtiam, si propriè loquamur, admiserim. nam apud Græcos etiam inter Dorcem, Dorcum, Dorcadem, Dorconem, Dorcadiũ, & Dorcalidem nihil interest. apud Strabonem Zorces pro Dorces legũtur, nisi vitium sit in exẽplari, Hermolaus. Plinius modò Capreæ Latino nomine utitur, modò Dorcadis Græco, sicut & alij quidam Latini scriptores, tanquam nullum apud Latinos vocabulum ei responderet. Græcè legitur etiam ἴυρξ, ἴορξ. & ἴορκος pro capreolo: quanuis aliqui Hinnulos aut Capras syluestres interpretentur. Capreolus quidem Hinnulo similis est: quare & Germani aliqui vtrunque Reech appellando non distinguunt. Sic próca (πρόκας) etiam alij Ceruum tenerum, id est Hinnulum interpretantur, alij Dorcadum speciẽ. Gaza Damã, (alicubi verò δόρκα, Damam.) Idem & Hermolaus Dorcadem Capreã. Aristoteles Ceruo & Προκὶ fel negat: & sanguinem eorum non spissari ait: Plinius vtrunque de Ceruo & Caprea (*Corrupti codices Capram habent*) scribit. Archilochus Πρόκα pro Ceruo dixit, Eustathio teste. Similiter & κεμάδα Hinnulum

Alia icon utrunq; Capreolorum sexum repræsentans.



aut Dorcadem interpretantur. sed κεμὰς Libyca Æliani ab vtroque differt, sicut & Dorcas Libyca.

GRÆCIS	hodie ζαρκάδιον.
ITALICE	Capriolo vel Cauriolo.
HISPANICE	Zorlito, Cabroncillo montés.
GALLICE	Chievreau, vel Chevreul, vel Cheureul sauuage.
GERMANICE	Reech/oder Reechbock/vnd das weiblein Reechgeiß.

Cronua hæc vidi nuper apud generosum Cimbrorum comitem Guilielmum Vvernherum, qui ea Capreoli fœminæ fuisse (cum fœminæ cornutorum, quorum ramosa sunt cornua, sine cornibus esse soleant) asserebat.



GERMANICE Ein gehürn von einer Reechgeiß/die ich gesehen hab in dem Schlossz deß wolgebornen Hern/herrn Wilhelm Wernhers Grauen zu Zimbern/rc.

PLATYCEROS, vt Plinius nominat: Oppiano Euryceros. Poterit & cum substantiuo sui generis Ceruus Platyceros, vel Caprea aut Dorcas Platyceros nominari. Dama recentiorum. nam de veterum & Plinij Dama suprà diximus. Fortè etiam Ceruus armatus Iulij Capitolini: sed alios quoque palmatos Cervos indicauimus suprà. Gaza ex Aristotele Proca vertit Damam, Platycerotem nimirum intelligens, non veterum Damam. In Samothrace Capræ sunt feræ, quas Latinè Rotas appellant, Varro: Hermolaus legit quas Platycerotas appellant. sed Strepsicerotes potiùs Capris feris adnumerandæ sunt, Platycerotes Cervis. Nos plura de Platycerote scripsimus, libro 1. de animalibus pag. 335. & rursus in Appendice, pag. 11.



πρόκα Damam docti putant. alij acutiores sibi visi, malunt esse Platicerotem: quia hic sit cervo similior, & in insula Proconneso frequens, quæ vocata sit etiam Elaphonnesus, Scaliger.

GRÆCI hodie	Platogni vocant, Bellonius.
ITALI	Daino vel Danio.
GALLI	Dain vel Daim.
GERMANI	Dam / Dämlin / Damhirsch.

HANC effigiem tanquam animantis è quâ moschus pretiosissimum odoramentum habeatur, Antonius Musa Brasavolus ad nos misit Ferrariâ: quam licèt absq; cornibus, cornutis inserere mox post Capreas volui, quoniã etsi in animali è quo Moschus habetur describendo auctores variant, plerique tamen cornutum faciunt, & Caprearum generi adscribunt. Gazella illa vel caprea Moschi quam



Bellonius Cairi sibi visam describit, omnino alia videtur. Lege quæ scripsimus lib. 1. De Animalibus, & in Appendice.

ITALICE Capriolo del musco. GALLICE Chevreul du musc. GERMANICE Bisemthierle oder Bisemreech.

Alces icon, qualem olim à pictore quodam accepi, non optima ut audio: cornuum pictura separatim subiicietur. Meliorem ponam in fine huius libri.



ALCE, Ἄλκη Pausaniæ. Cæsar Alces numero plur. dixit, tanquam à recto Alx. Est autem omnino id animal, quod Ellend Germani vocant, alij Elend vel Elch vel Elg/quæ duo postrema ad Alcis aut Alces vocabulum propius accedunt: Iulij Cæsaris quidem descriptio ei non convenit: sed neque ulli alteri animali crura sine junctura habere: & nihil mirum est Cæsarem ex auditu falsa quædam scripsisse. A Polonis & Moschis Los vocatur, quasi Alx, literis transpositis. Nec aliud in Hercynia aut aliis ad Septentrionem syluis reperitur animal, quod Alce veterum esse possit. Cornua in hoc genere (inquit Pausanias) mares habent, fœminæ carēt. quod indicio est, naturam veluti ceruorum esse cornibus, solidam nimirum, & quotannis ea decidere. An verò in superciliis Elendi nostri cornua sint, nondū habeo quod affirmem. ea quidem huius animalis icon, quam à Io. Pontano: & altera quam à Io. Kentmano, doctissimis medicis accepi (vtraq; ad viuum facta, & accuratius quàm quę hîc exhibetur,) in fronte hujus animantis cornua collocant. Magnitudo etiā & species huic nostræ fauent. est enim Alce Pausaniæ specie inter Ceruum & Camelum. & nostra Alce, quam Equiceruam Albertus nominat, Equo similis est, sed altior. Generos. & illustris in regno Poloniæ vir Io. Bonerus de Balicze, &c. non politicæ tantum administrationis, sed variarum insuper naturalium rerū peritus, de Alce ita ad me scripsit: Mitto tibi Gesnere Cornua Alcis, talia vt vix pulchriora possint reperiri: & frustum vngulæ. ego enim pedem integrum (*integrā tibiam nuper mihi donauit Augustæ Christophorus Vuirsungus, vir doctrina & pietate eximius, præstantißimi medici Philippi parens: & dum hæc scribo alteram longè è Vilna Lithuaniæ ab Antonio Schnebergero meo accepi*) vnà cum vngulis servo, de fera quam ego ipse in venationibus Lithuanicis (pręsente serenis. Sigismundo Augusto secundo rege Poloniæ) vno venabuli ictu mirandæ magnitudinis confeci. est enim ut vastæ magnitudinis ita mollis ad vulnera, & impatiens: nec aliud periculum venatori, nisi is à fronte & non à latere impetat. fortissimo enim ictu anterioris pedis tāquam telo traiicit venatorem. Ejus magnitudo ferè duos cervos adæquat: sicut ex pede integro iudicari facilè potest. Verùm hæc & alia quæ ad me dono mittebat, nescio quo infortunio hactenus ad me non peruenerunt: & quoniam nuper maximo bonorum omnium mœrore, fatis concessit, spem planè omnem hæc & hujusmodi rara è Sarmatia acquirēdi abijcerem, nisi Anton. Schnebergerus meus, (cui longam & felicem in Polonia vitam opto, vt virtus & doctrina ejus merentur,) mei curam susciperet: aut Georg. Ioachimus Rheticus, aut alius quispiam in illis regionibus, mihi simul gratificari simul, Naturæ hanc partem illustrare, & honorificam eo nomine sui memoriam in libris nostris posteritati relinquere vellet. Plinius Alcen. ni proceritas aurium distinguat, jumento similē facit: is quidem hac in re fide dignior quàm Cæsar, spectatis jam aliquoties Alcibus Romam adductis. Præterea ut Pausaniæ sæculo, ita hodieque rarò capitur hæc fera: quod vel ex pedis vngulæve pretio constat: quæ quoniam amuletum esse convulsionum & morbi comitialis creditur, in magno est precio, non tanti æstimanda si frequenter caperetur. Vngula Alcis (vt scribit Bonerus) habetur apud Polonos gestata in digito vel brachio pro singulari remedio contra spasmum aut morbū caducum. Obseruatur autem tempus ungulis abscindēdis, post medium scilicet Augusti, vsque ad finem Septembris, quo tempore, ut asserunt, hoc animal patitur hunc morbum: per quem cum prosternitur, perfricat dextram auriculam dextro posteriore pede, & liberatur. is pes viuo animali abscinditur, & vngula detracta servatur pro certissimo horum morborum remedio: quod vtrū superstitioni an rationi naturali adscribendum sit, relinquo aliorum iudicio. Hæc ille. Velocitas etiam animalis, ut rarius capiatur in causa est, & loca syluarum vasta desertaq; quæ

incolit. Hæc omnia animal Elend dictum, ut Alcen esse credam, mihi persuadent. Sed adhuc obijcit quidam Iul. Cæsaris verba: Harum est consimilis Capris figura, & varietas pellium: crura sine nodis articulisq;. Mirum verò cur non cornibus etiã mutilas esse Alces ex eiusdem verbis obijciat. atqui Pausanias cornutas fecit, cui maior fides. eius enim sæculo regiones ubi hæ feræ capiuntur, Romanis subjectæ erant: & ipsæ in Romanorum spectaculis aliquoties uisæ. Fieri quidem potest ut Cæsari Alcen aliquis descripserit, qui eam nondum adultam, & vel adhuc sine cornibus, vel ijs nuper amissis viderit. Parvas enim adhuc Alces, Capris (Capreísve) similes ferè putârim, caudæ præsertim brevitate, & barba, ac pelliũ varietate. (Si Capris legas, similitudo erit in barba: sed Capreis legendum suadet varietas pellium.) Hoc etiam verisimile est, in vnam feram ab imperitis relata, quæ ad diversas pertinebant: vel contrà interdum. Pausanias Alcem marem cornua in superciliis habere scribant: vel contrà interdum. Pausanias Alcen marem cornua in superciliis habere scribit. Cæsar feræ in Hercynia sylua innominatæ id attribuit: Est Bos (inquit) Cerui figura, cujus à media fronte inter aures vnũ cornu existit, excelsius magisq; directum his quæ nobis nota sunt cornibus. ab eius summo sicut palmæ ramique latè diffunduntur. Eadem est fœminæ marisq; natura, eadem forma magnitudoque cornuum. His verbis Tarandum seu Rãgiferum feram insinuat, quod ad cornuum figuram, fortassis etiam situm. At vnicorne animal in Europa (ni fallor præter Capras quasdam feras in Carpatho monte, si vera est fama) nullum invenitur: & cum ceruina specie animal sit, fœminas quoq; cornibus, iisq; forma & magnitudine non aliter quàm mares, armari, vix mihi verisimile fit. Plinius Alcen & Machlin distinguit: hanc illi similem faciens, sed nullo suffraginum flexu, &c. Alci igitur Plinius articulos tribuit, Cæsar negat. an habet quidem tum Alce, tum Machlis, (vt cunctæ animantes quibus pedes sunt.) sed propter nimiam velocitatem vel habere, vel flectere eos non satis apparet? Sed hæc an alia causa sit hujus falsæ persuasionis, viri docti, quibus animal ipsum eiusque gressum aut cursum aspicere datum fuerit, obseruabunt. Quod verò addit Plinius Machlin velocissimam esse, & labrum ei superius prægrande, in Scandinauia notam esse, hæc etiam Alci conveniunt: ut eam à Machlide non rectè distinxisse videatur, præsertim cũ apud nullum alium au thorem Machlis nomen legatur.

GERMANICE Elend / Ellend / Elch / Elg / von welchem die hörner hernach volgen auff zweierley gestalten.

Cornu Alces, quale pictum olim amicus misit.



Eiusdem

Eiuſdem, ut videtur, effigies alia; ad cornu quod domi meæ habeo, delineata. longitudo eius dici non poteſt, propter ſitum partium eius diſtortum. latitudo decem ferè digitorum eſt, ſi à mucrone longiſsimo ad partem oppoſitam metiaris. Eſt autem mucro longiſsimus, digitorum 15. breviſsimus, ſeptem. Principium ſiue radix cuti proxima qua enaſcitur, paulò craſsiore eſt ambitu quàm manus mea amplecti queat. Cornu totum bipartitum videtur, ut icon præ ſe fert: conijcio autem latere ſiniſtro feræ additum fuiſſe. quoniam partes ferè omnes introrſum vergunt, ſi ita colloces, ut pars altera, quæ tribus mucronibus diſtinguitur antrorſum ſpectet. Totum eſt ſolidum. Pondere librarum medicinalium 15.



HIPPELAPHUS Ariſtot. ut Io. Caio Anglo videtur: à quo & iconem, & deſcriptionē, quam ſubiiciam, accepi. Noruegia (inquit) in noſtram Britanniam animal quoddam tranſmiſit, ſui quidem generis, ſed mixtæ formæ. Nam corpore compacto, crure longo atque gracili, vngula bifida, cauda breui, ceruum eſſe diceres: capite & aure mulum, cornu dorcadem, labro ſuperiori propenſo Alcem ferè, juba equum, niſi quòd tenuior & erectior ea eſt quàm equi. Peculiariter habet ab armis ad caudam per omnem ſpinæ longitudinem pilum elevatum leviter, aruncum ſub fauce promiſſum, & in eo palear pendulum, pilum per armos longiuſculum obliquo aſcenſu, collum breuius quàm pro corporis modo. Eam ob rem cum vel herbam carpit, vel panem proiectum tollit, vel potum ex vaſe aut vado ſumit, in genua procumbit. Cornua in hoc genere mari tantum, non è ſummo capite erecta, ſed è medio ferè capite ex vtroque latere paulò ſupra oculum enata, & in latus exporrecta, aſpera & tuberoſa ut ceruis, nuſquam læuia, niſi in ſummis proceſſuum faſtigiis, & qua decurrunt venæ, ad tegumentum villoſum in teneritudine nutriendum per longitudinem productæ. Minus tamen aſpera ſunt à primo proceſſu ad ſecundum in anteriori parte, & rugis potius quàm tuberculis conſpicua. Eadem ad dimidiam ſui longitudinem, rectà tendunt, inde, in ſublime ſenſim recuruantur. Vtrunq; proceſſus tātum tres facit, quorum humiliores bini in aduerſum ſpectant, ſublimiores ſinguli cœlum. Euenire tamen ſolet, ut vel inopia pabuli, vel morbo, (vt cuſtodes retulerunt & ipſe vidi,) ſiniſtrum cornu duos tantum exigat proceſſus. Longa ea ſunt pedē Romanum vnū cum ſemiſſe, & digitū vnum cum ſemiſſe. Craſſa ad radicem, palmos Romanos duos integros. Summus vnius cornu proceſſus, diſtat à ſummo alterius, ped. Romanis tribus, & digit. tribus: ut & infimus ab infimo, pedibus duobus. Metior à faſtigiis. Colore ſunt & dēſitate ſubſtantiæ, ceruinis quàm ſimillima. Pendunt vnà cū ſicca, dimidiata, rupta, & ſpongioſa fronte, libras quinq; cum ſemiſſe & vnciæ dimidio. Cum libram dico, vncias ſedecim intelligo. Decidunt quotannis ut ceruis, aprili menſe. Caua enim non ſunt. Frontis ſpacium inter cornua, palmorum duorum Romanorum cum ſemiſſe eſt. Eminens caluæ pars, quæ inter cornua eſt, à poſteriori parte caua eſt.



In ea cauitate cerebrum erat positum, deſcenditque ea ad mediam oculorum regionē. Eā in ſceleto a & b literæ (*in pictura noſtra hæ literæ per incuriam omiſſæ ſunt*) indicant. Dēs ut ceruis, ſed equino maior, & in maxillaribus per interiores ſulcos, ſed ſumma ſua parte, denticulus acutus aſſurgit, ne quid eò cibi inconfectum delabatur. Colore id animal eſt per adoleſcentiam, murino aut aſinino: per prouectā ætatē, fuſco, ſed magis per extremas totius corporis margines: pilo læuiſſimo, cruris maximè, niſi ſub ventre, in intimo & ſummo crure, imo & ſupremo collo, pectore, armo, atque ſpina. Proceritate eſt, duodeviginti palmorum vulgarium & digitorum trium. Multò velocius equo eſt. Fœmina ſingulos peperit in Britannia: aiunt tamen geminos parere. Caro illi nigra eſt, & fibra craſſa atque longa uti bubus: præparata tamen ut ceruina, atque in furno cocta, in cibo ceruina eſt ſuauior. Veſcitur herba, ſed rariùs apud nos, eo credo ingenio quo equi, qui cum panē poſſunt, fœnum nolunt. folio, cortice ex arbore, pane & auena lubentius. Priora vel ad triginta palmos vulgares excelſa, naturali corporis poſitura carpit. Si quid ſit eò excelſius quod affectat, erigit ſe in poſteriores pedes, & prioribus in arborem aut maceriem innixum, ut ſolent capræ, uel ſupra fidem extenta ore detruncat: tanta eſt animalis proceritas & altitudo. Bibit aquā, bibit & alam ceu ceruiſiam auidiſſimè pariter & copioſiſſime, idq; ſine ebrietate. Sunt qui vinū dedêre, ſed id ſi prolixius hauſerit, imitatur vitium ebrietatis. Placidiſſimum animal eſt, ſi cicuretur: alioqui ferox admodum, & humanum genus perſequens, ſi non aſpectu, at odore, quo maximè pollet & cane certius. Quamobrem qui per viuaria regia illi præficiebatur, ſingulis annis ſerra diſſecabat cornua. Quem comprehendit, calcibus deturbat, &, ſi eques eſt, etiam equum. Quem non ante conſpectum odore præſenſerit, voce prodit propemodum clarè grunnientis ſuis. Orbū ſua fœmina, mulieres valdè affectat, & quaſi ſexum noſſet, pudendum denudat. Id habet inſtar ceruini.

Vngulam

Vngulam eius aduersus morbum caducum valere creditur. Hoc animal Norvegia Elend & Elke nominat, si benè externa vocabula nostri sonant, Equidem Hippelaphum, seu equiceruum cum Aristotele & Alberto Magno dicerem. Hic enim muli caput atq; aures habere dicit equiceruum. Ille iubam tenuem à capite ad armos protensam, cruncum peculiarem à gutture pendulum, & dorcadis cornua gestare scribit Hippelaphum. Alcem esse non putem: cum Alci nec crura flexa, sed rigida nec cornua his similia, nec in armis iuba sit apud veteres authores, si bene memini, Minus Hippardium crediderim, cum præsertim fœmina cornib. careat, & mari aruncus sit: quæ in Hippardium non cadunt. Tragelaphum esse dicere, vetant & dorcadis cornua, & muli caput. Adiungam veram imaginem, & seorsum capitis sceleton vnà cum suturis, ut erant naturaliter, quò certius quæ ad caput pertinēt cernantur omnia. Hæc omnia Caius. Apparet autem omninò animal hoc Alces esse speciem, eandem per omnia illi quam nos exhibuimus, exceptis tantum cornibus: quæ certè Dorcadis seu capreoli in Alcium genere inveniri ab alio nemine hactenus cognoveram. nam Alce nostra, quæ similiter à Norvegis Elent vel Elke nominatur, semper magna & lata admodum (qualia pinximus & vidimus ipsi, & Albertus quoq; describit) cornua gerit: ut testes oculati non pauci mihi asseruerunt. & ex Prussia Poloniaq; vbi capiuntur, depictas icones cum eiusmodi cornibus miserunt amici, Io. Kentmanus, Io. Pontanus, & Ant. Schnebergerus, omnes medici doctiss. Aristoteles quidem historiæ lib. 2. c. 2. dorcadis cornua Hippelapho tribuit, id est, capreæ: & jubam in summis armis, & in capite descendentem tenuem: animal bisulcum esse dicit, non maius ceruo: fœminam cornibus carere. proprium ei quòd barbam gutturi annexam habeat. nasci apud Arachotos (est autem Arachosia regio majoris Asiæ, in qua Alexandria & Arachotos ciuitates sunt) ubi etiam Boves feri inueniantur. Quæ omnia videntur Alcæ nostræ convenire, nisi quòd Cervo multo major est, duplo plerunq;: & cornua non dorcadis simpliciter, sed ejus quæ platyceros cognominatur, quanvis adminiculis (quæ vocant) caret, longè majoribus, &c. Quare duplex, opinor, Hippelaphus fuerit: vnus videlicet Alce nostra cornibus latis: alter verò, Hippelaphus Aristotelis seu Arachosius, cornib. dorcadis, qui apud Norvegos etiam reperitur, eadē magnitudine qua Alce nostra platyceros: quanquam Aristoteles apud Arachotos Cervo magnitudine parē esse dixit, siue deceptus, sive quòd revera illic minor nascatur. duæ vnius generis proximi species: utraq; inter equum & cervum ferè ambigente natura: barba non à mento, vt cæteris, sed à larynge (id est gutture) dependente. Equicervus noster, inquit Albertus, cicuratur etiam ad equitandi vsum. tantundem enim vno die spacij, quantum Equus triduo perficit. An Hippelaphus Caij cœlo victuq; mutato, etiam cornua mutavit? Videtur autem idem Tragelaphus ab aliis dictus, qui ab Arist. Hippelaphus. Vide quæ notavimus suprà in Tragelapho quorundā, cui cornua cervina. Alces audio Regiæ in Liuonia nutriri in domibus, & per vicos vrbis cicures obambulare. GERM. Ein ander geschlecht deß Elends auß Nortwegen in Engelland gefüht.

TARANDVS veteribus Græcis. Recentioribus Latinis, vt Alber. Magno Rangifer, aliis Raingus, vocabulis à Germanico aut Scythico detortis, vt fortè etiam Tarandi nomen: quoniam aliam eius originem aut significationem non videmus. Idem animal Ceruum Scythicum appellaverim. De eodem etiam Iulius Cæsar fortè intellexit libro 6. belli Gallici his verbis scribens: Est (in Hercynia sylva Germaniæ) Bos Cerui figura: cujus à media frōte inter aures vnum cornu existit, excelsius magisq; directum his quæ nobis nota sunt cornibus, ab ejus summo sicut palmæ ramiq; latè diffunduntur. eadem est fœminæ marisq; natura: eadem forma magnitudoq; cornuum. Petrus Gillius hoc loco non rectè legit: Est Bison in Hercynia sylva, &c.

Tarandi ſeu Rangiferi effigies vera.



Ego planè Rangiferum à Cæſare deſcriptum puto,ſed parum rectè vt etiã Alcen.eſt enim Ragnifer velut Bos quidam ,cervi figura.hujus enim cornua gerit, magnitudine verò ſuperior ad bovem accedit:& cicuratus etiam mulgetur . Cornua bina (non unũ ut ipſe ſcribit)excelſiora cęteris quæ nobis nota sũt cornib. ſupra caput erigit,quę in ſummo palmata & ramis vel mucronib.aliquot tãquam digitis diffuſa ſunt.An v.etiam feminę hujus generis cornutæ ſint,nondum mihi conſtat.opinor a.feminas omnes,quarum mares ramoſa habent cornua,cornibus carere,niſi rariſſimè forſan pręter naturã aliter eveniat. Quod ſi à Ragnifero diſceſſeris, nullũ aliud animal in remotis Hercynię ſilvę ſaltibus reperias, cui Cæſaris verba conveniãt.Tardãdo (inquit Solinus) magnitudo quę bovi eſt:caput majus cervino,nec abſimile:cornua ramoſa, ungula bifida, &c. In Schytia cervos ita cicurari, ut equitandos ſe prębeant,veteres quidam & recentiores prodiderunt,de Ragniferis procul dubio famâ acceptâ. Quamobrẽ cervum Scythicum rectè cognominabimus:&,ſi libuerit,etiã palmati nomẽ addemus,ut cervum Scythicum palmatum dicamus,propter cornuum ſpeciem.Sed de cervo palmato plura ſuperiùs indicavimus . De Ragnifero etiam accipiendum puto quod Io.Boëmus ſcribit,in Polonia Equum ſylveſtrem cervino cornu reperiri, & ſanè poſſet Hippelaphus dici, non indigniùs quam Alcen Albertus ſic nominat.Sed alius Solini Hippelaphus



est,vt in Alce docui. Rangifer (inquit Albertus) reperitur in regionibus ad Septẽtrionem versus Polum Arcticum sitis, vt Norvegia, Suecia & aliis. Dicitur autem Rangifer, quasi Ramifer. tres enim ordines cornuũ gerit in capite, ita ut in singulis bina sint cornua, & caput eius virgultis (*aliàs virgulis*) circumpositum videatur. Ex his duo cæteris majora sunt, in loco cornuum cervi, quæ ad perfectã magnitudinem augentur, adeò vt quinque cubitorum mensuram aliquando attingant, & ramis conspiciantur vigintiquinq;. Duo etiam in medio capitis, lata ut Damarum habẽtur, mutilis & breuibus ramis mucronata. Deniq; alia in fronte antrorsum versa, ossibus similiora, quibus in pugna potissimùm utitur. Hæc ille. Videtur autem tres cornuum ordines fecisse hoc modo, ut primũ ordinem faciant cornua ipsa quà in sublime porriguntur, in quorũ medio rami seu mucrones parui spectãtur, superiùs autem palmæ mucronatæ. Secundi verò ordinis sint rami majores, proximè supra amyntéres (seu adminicula ut in cervis nominant) positi. Tertij deniq;, amyntéres ipsi, quib. præcipuè pugnat, uti etiam Cerui. Lappi siue Lappones Equorum loco vtuntur animalibus, quæ Raingi suo sermone vocant. quibus magnitudo & color asini est, pilus hirsutus, vngulæ bifidæ, forma atq; cornua ceruorum. sed cornua lanugine quadam obducuntur, eadem tenuiora, longiora, & ramis rarioribus quàm cervina sunt: Damianus à Goës & Munsterus. Gregarium est animal. cicuratum 30. miliaria Germanica vno die emetitur. Per nivem Equis celeriùs currit. In Scandinauia metallis præfecti 400. aut 500. Rangiferos alere solent ad vehicula, currus, traheas quoq; valde onustas, & equitandi vsum. Mulgentur etiam, & omne genus lactarij operis ex ipsorum lacte conficitur. In eadem regione Tengillus Scricfinnorum rex equitatum habet Rangiferis insidentem: & vincit interdum Helsinglandiæ regem Argrimum, cuius equites Equis vtuntur: Olaus Magnus. Ex Antonij Schnebergeri Tigurini, doctissimi in Polonia medici ad me literis: Ex magnifico quodam viro, qui olim legatione ad regem Sueciæ functus est, & Moscovita quodã, de Rangifero hæc cognovi: animal esse gemino cornu, ceruini instar, sed magis ramoso, (*ramos intelligo mucrones ramorum propriè dictorum: nam ramos ipsos rariores quàm cervus habet,*) ramis introrsum conuersis, maiore, candidiore, fragili & cauernoso. in rupibus Lapporum degere: non feræ, sed placidę naturæ. mulgeri. 30. aut ampliùs miliaria uno die conficere. pabulum cum eo vehi non opus esse, quòd sub niue quærat radices quibus uescatur: & majori ex parte musco piceastri (quam Forhen Germani dicunt) viuat. Vngulam bisulcam habere, acutam & validam ac si ferrea esset: ideoque in glacie velocissimũ esse. liberè ad pastum dimitti ac facillimè reduci. Moschouita addebat in magnis campis circiter 100, aut 200. greges integros Rangiferorum reperiri. gramine saltẽ vesci: eandemq; rationem ipsius utendi ad vecturam exponebat, cujus vir illustris Sigismundus Liber Baro in Herberstein meminit in Cõmentariis Moschoviticarũ rerum. Pellem eius ostendebat vndiq; albam, nisi quòd parum in dorso glauca erat. In oppido Bietz ecclesiastes quidam idemq; medicus, narrauit mihi in Massouia Rangiferos ad 400. tantùm adhuc superesse: eosq; ita cicures, ut inter alia armenta pascantur. Hæc ille. Sunt qui Ceruo minorem esse dicant Rangiferũ, & Asello conferant. vehiculi quod trahit fundum triangulum & carinatum fabricari solere,

ſolere, ut ita commodius ſit ad ſulcandum iter. non ferre calorem. in Bohemiam adductum viuere non potuiſſe. Lappum qui adduxerat ſub finem Decembris, nũquam ſe majorem cœli caloris vim ſenſiſſe teſtatum. Cornua huius quadrupedis Bernæ in curia viſuntur. nos etiam Auguſtæ in ædibus ampliſſimi viri Georg. Fuggeri vidimus. GALLICE Rangier, Ranglier.

GERMANICE Rein/Reen/Reiner/Rainger/Reinſzthier. Wirt mit groſſen ſcharen gefunden in Noruegen vnd anſtoſſenden landen: auch in Maſſouia/welches iſt ein gegne im künigreich Poland/aber zu vnſerer zeit vaſt wenig. Ich halt daß ſein nam ein Teutſchen vrſprung habe von dem Reenen har: dann diß thier iſt alſo ſchnell/daß es eins tags vff 30. Teutſcher meilen lauffen mag/ꝛc. POLONICE Renſcheron.

RHINOCEROS, vel Taurus Æthiopicus Pauſaniæ: nam alij ſunt Æthiopici illi tauri, quorum Plinius & Ælianus meminerunt. Rhinocerotis nomen Græcum in linguis aliis pleriſque ſeruatur. Latinè dici poſſet Naricornis. Rhinocerotis eius picturam vidimus, cuius cadaver è naufragio eiectum eſt in Tyrrhenum litus. Capite eſt ſuillo, tergore munitus ſcutulato. cornu gemino altero puſillo in fronte, altero in nare robuſtiſſimo, quo audaciſſimè pugnat ac vincit Elephantum, Scaliger. Indorum lingua hoc animal Sanadabebamet vocat. Rhinoceros magnitudine par eſt Equo fluuiali.



Degit

Degit autem iuxta Nilum, ab Oceano ascendens: & cum apud Indos Bouis nomine dicatur, apud Nilum nominatur Rhinoceros, Scriptor Græcus recentior innominatus. Oppianus hoc animal Oryge non multò maius esse scribit. Strabo magnitudinem Tauri ei tribuit. Plinius Elephanto longitudine propè parem facit: alij vel parem, vel paulò longiorem, humiliorem tamen, & breuioribus cruribus. Pictura quam exhibeo, Alberti Dureri est, qua clariss. ille pictor Rhinocerotem Emmanueli Lusitaniæ regi anno Saluis 1515. è Cambaia Indiæ regione Vlysbonam aduectum, perpulchrè expressit.

GERMAN. Ein groß frömb Thier auß India / mit einem kleinen hörnlein / vff dem halß oben : vnd einem anderen starcken horn vff der nasen / mit welchem er fräfenlich wider den Helfanten streit / reißt jm den bauch auf / vnnd überwindet jn Mag ein Naßhorn genennt werden.

ELEPHAS Græcum vocabulum, Latinis etiam receptum est. dicitur & Elephantus à Cicerone ac aliis bonis authoribus. Barrus, vt Grammatici quidam annotant, lingua Sabina Elephas dicitur: vnde & ebur appellatum putat Servius, tanquam è Barro. Barrire etiam Elephanti dicuntur à sono, vt Festus scribit, per onomatopœiam. Elephantes Italia in Lucanis primùm bello Epirotico vidit, & Boves Lucas inde dixit, Plinius & Solinus. Amat insani Bellua Ponti, Luciq; boues, Seneca in Hippolyto. ITAL. Leofante. GALLICE Elephant. GERMAN. Helfant.



F



MONOCEROS, hoc eſt, Vnicornis à recentioribus nominatur, ut ſubaudiatur, fera, beſtia, aut quadrupes: quod ab antiquioribus Aſinus vel Onager vel Equus Indicus appellatur. ab Indis Cartazonus, vt Ælianus tradit. Quòd ſi quis Hippelaphum Indicũ nominare voluerit, non fecerit abſurdè, propter ſimilitudinem ad utrunq; animal: quanquam alius eſt Hippelaphus Ariſtotelis. Orſei Indi venantur aſperrimam feram Monocerotem, reliquo corpore equo ſimilem, capite Ceruo, pedibus Elephãto, cauda apro, mugitu graui, vno cornu nigro, &c. Plinius: qui Rhinocerotis quædam Monoceroti attribuere videtur, & in vnam deſcriptionem feras diverſas confundere. Authores certè & veteres & recentiores in deſcribenda hac fera variant: ita tamen vt omnes de eodem animali ſentire videantur. Color quidem cornu, & fortè etiam corporis, non convenit: ſiue revera, ſiue quia à ſcriptoribus erratum eſt, Sed color ſpeciem aliam non facit. Maius ex pedum differentia diſcrimen fuerit. nam Ariſtotelis Aſinus Indicus ſolipes eſt: noſtra verò icon (talis, qualis à pictoribus hodie pingitur, certi quidem nihil de ea habeo) animal oſtẽdit biſulcum. Solinus & alij pedes Elephanti ei attribuunt. Ludovicus Romanus patritius vnicorne animal Mechę (quod Arabię oppidum eſt, ſepulchro Mahometis inſigne) ſe vidiſſe ſcribit, vngulis anteriorũ *(quaſi nõ ſimiles etiã poſteriorũ ſint)* pedum bifidis, caprinos pedes fermè referentibus. Monocerotis figuram (inquit Scaliger) ex Vartomani facetiſſima narratione adſcribemus. Vnicornibus Equi magnitudo: crura-pedes, caput, Cerui. pili color balius. Equi juba, rarior, brevior. Coxæ villoſæ. Cornu vnum integrum Niceę vidimus: alia alibi. Suffuluùm vnum ſubluteum, accedens maximè ad buxeum: vnum ſubpuniceum. Etiam habemus fruſtum candidum. Nos multa de Monocerote primùm in eius integra hiſtoria ſcripſimus: deinde in Paralipomenis libri De quadrupedibus, & rurſus in ejuſdem Appendice.

Reperiuntur frequenter in Polonia cornua quædam, quæ Monocerotis eſſe cõijciunt quidam, duplici argumento: primùm quòd ſingula reperiri ſoleant, nunquam bina quod hactenus ſit auditum, quanvis aliquando cum ipſo craneo & reliqui corporis oſſibus inveniantur: deinde quòd vis eorum contra magnos & difficillimos morbos explorata ſit. qua de re diligentiſſimè Ant. Schnebergerus olim diſcipulus meus, nunc magnæ doctrinæ apud Sarmatas medicus, & ſummus naturæ perſcrutator, ad me perſcripſit ante quinquennium ferè, ad cornua aliquot huiuſmodi ſpectanda, clariſs. hoc tempore in Sarmatia medici, & mathemat. noſtra ætate incomparabilis Ioachimi Rhætici, ſummi amici mei, opera admiſſus.

Primùm

Primum istorum cornuum (inquit) vidi lõgitudine orgyiæ meæ, colore subcinericeo vel subnigro: mucrone acutissimo, terete. Diameter circa radicem cornu sesquidodrantem excedebat. Superficies erat plana, nullis spirarum versuris: substantia friabilis, figura incurva: interius colore candidissimo: qui fuscum colorẽ contrahit, si vinum imbiberit. Octo tales coniunctæ ei erant scissuræ (*laminæ*) quales in majori parte quam mitto videbis. est autem illa pars non de cornu, sed vel palati os, vel alia quæpiam ut conijcio. Inventum est hoc cornu sub terra, non profũdius pede, loco solitario & excelso ut hîc sunt: inter duos colles sito, per quẽ torrens fluit, à rusticis fodientibus propter iacienda ædificij fundamenta. Percussum quidem securi cornu, in minimas partes dissectum est: generosus autem & magnificus vir Io. Frikasz (in cuius agro duo miliaria distante Cracovia, inventum est cornu) qua potuit diligẽtia ne particulæ disgregarentur, è terra eximi curavit. A radice ad apicem usq; totum rotundum (teres) fuit, linguæ contactu adhæret. dens tantus erat, quantum complecti manus potest, suprema (vel extrinseca) parte osseus, intus cavus, in medio albus, in fine subruffus. Inventum est autem totum animal: & ut ex magnitudine ossium facilè perspicitur, maius equo fuit. Quadrudes fuisse certum est ex humerorum, tibiarũ & costarum ossibus. Quòd si dens Elephantis esset hoc cornu, ut quidã suspicantur, mireris cur nunquam (quod audierim) bina reperiãtur. (*Sed neq; adeò curui sunt Elephanti dentes, seu potius cornua, ut ad semicirculum ferè accedãt, quemadmodum ista.*) Huius cornu vires, denario eius exhibito cum vino aut aqua borraginis, in febribus inveteratis, tertiana trium annorum, quartana, & alijs mirabiles sum expertus, &c. vomitum nonnullis movet, & alvum deijcit. Hactenus de primo ex quatuor illis quæ vidi cornibus. Alterum huic simile erat, sed minus integrum: colore foris nigerrimo, intus candidissimo, in torrente inventum. Tertium & quartum durissima, ita ut vel saxum & ferrum eis cedere potuisse existimẽ, solida usq; ad mucronem, integra tamen non vidi: sed unius partem cubitalem, alterius sesquicubitalem: colore fusco, crassitudine eàdem ferè, qua præcedẽtia duo. Verùm priora duo cum nullas habeant rimas aut scissuras, hæc habent per longitudinem instar striarum in caulibus herbarum. Horum alterum in agro quodam repertũ est, ita prominens, ut palum esse rustici existimarent. Horum etiam vi medica multi à febribus liberati sunt. Quòd priora minùs dura fuerint, causam arbitror quoniam alterum eorum in aqua tantò tempore latuerit. alterum verò sub terra vix bene absconditum. Vidi postea quintum simile primo. nullum ex eis directum, sed omnia curua, quędam ad semicirculum. Hactenus Schnebergerus meus: qui hoc etiam addit plurima huiusmodi inveniri in Polonia, & idcirco ferè contemni. Reperta sunt autem apud nos quoq;, in Helvetijs dico, mea memoria aliquot huiusmodi cornua: unum in Arula fluvio iuxta Brugam oppidum: alterum superiore anno Basileę in Birsa flumine, quod ipse vidi, sed fractum. sicuti etiam tertiũ apud illustrem Cimbrorum Comitem Guilielmum Vvernherum in arce prope Rotevillam, qui magno fragmento me donavit: quod quia iam diu non reperio, furto mihi subtractum suspicor: sed aliud mediocre à chirurgo & tonsore Basiliensi, qui in Birsa dum piscatur, reperit, accepi. In torrentibus quidem & fluvijs singula reperiri minus est mirum, ubi multo tempore partes separatæ aquarũ vi in loca diversa rapiuntur. An verò in tèrra etiam semper singula reperiantur, considerandum est diligentiùs: & quærendum an de eodem animali sit cornu illud maximum, quod singulare in templo maiori Argẽtinæ ad columnam plurimis, ut apparet, annis iam pepẽdit. videtur enim eadem planè magnitudo, crassitudo, & figura, qua Schnebergerus sua descripsit. id superius post Boves feros exhibuimus. Cornua singula veteres Monoceroti tantùm tribuerunt, quem alij alijs no-

minibus appellarunt, ut dictum eſt, & prætерea Orygi (feram noſtro ſæculo ignotæ ni fallor,) quem Ariſtoteles & Plinius unicornem faciunt: Ælianus quadricornem: Oppianus non exprimit, videtur tamen bicornem facere. Symeon Sethi Capream etiam quæ Moſchum gerit, monocerotem eſſe ſcribit, &c. Recentiores quidam (ut Scaliger repetit) in Æthiopia alicubi Bobus unicum è fronte media cornu prodire tradunt, pedali maius, curuitate ſupina, cuſpide retrorſum devexa: eoſdemq; pilo ruffo veſtiri. Vnde non omnium unicornium cornu rectum eſſe colligimus. Sed cur in Polonia frequentius hujuſmodi cornua reperiuntur quàm alibi? an inde ſuſpicabimur, Vrorum quorundam fuiſſe? qui ut hodieq; in Sarmatiæ ſyluis ſunt, ita olim nimirum longè plures fuerunt: & cum in maioribus magisq; deſertis ſyluis viverent, nec tam aſſiduis venationibus occiderentur, eorum aliquos ad grandævam ætatem maioribus ſubinde cornibus inſignem perveniſſe veriſimile eſt. Nos hæc alijs conſideranda proponimus. Pharmacopolæ nuſquam opinor veri Monocerotis cornua habent: ſed alij adulteratum quippiã, alij cornu illius maximi & ignoti, de quo diximus, fragmenta: & non ſolum de cornu, ſed etiam de oſſibus capitis: quorum nõnulla temporis longinquitate ita affecta ſunt, ut triplicem in eis ſubſtantiam deprehendas, ſuo quanq; interſtitio diremptam, unam ferè corneam, & pallidam: alteram albiorem, molliоremque: tertiam, lapideam, candidiſſimam. Audio & ex novis inſulis Monocerotis nomine cornu adferri, contra venena laudatum: quod quale ſit nondum reſcivi. quærendum autem an ſit Rhinocerotis. nam & veteres & recentiores quidam hunc cum Monocerote confundunt. Vires quidem utriuſq; cornibus propè eaſdem eſſe conijcio. Rupicapræ genus unicorne, Polonice Skalna koza, quaſi rupea capra, invenitur in monte Carpatho, & ſæpe ex venatione Cracoviam in aulam adfertur: ut retulit Albertus Moſcenius Polonus, eximiæ doctrinæ iuvenis, ipsũ ſe non ſemel vidiſſe aſſerens.

ITALICE Alicorno vel Vnicorno. GALLICE Licorne. GERMANICE Einhorn.





Leporis effigiem collocavimus infrà in fine Ordinis III. Quadrupedum ferorum. At hoc in loco feris cornutis ſubiungere libuit monſtroſa leporum capita cornuta in Saxonia (ni fallor) repertorum: quorum icones à Io. Kentmano Mileno medico accepi. Cornua hæc (inquit) ab amico mihi donata, cùm prius à Saxoniæ principibus ſervata fuiſſent, Leporis capiti adnata fuiſſe, vel ipſum cranium cui etiamnum hærent, arguit. ſex ferè digitos longa ſunt. Vidi & alia bina capita leporum ſimiliter cornuta, ſed nullum maioribus cornibus. Sic ille. Nos & maiorum & minorum cornuum quæ miſit figuras expreſſimus.

GERM. Gehürn an etlichen Hasen gefunden: welcher contrafactur mir zugeſchickt hat ein glaubwirdiger gelerter Mann auß Meiſſen.

QVADRV-

QVADRVPEDVM VIVIPARORVM FERORVM ORDO SECVNDVS,

Complectens feras non cornutas maiores.

LATINE Vrsus. ITALICE Orso.
GALLICE Ours. GERMANICE Bär.



VRSAM non parere fœtum prorsus informem, quem postea lambendo figuret atq; perficiat, argumento est fœtus ex vtero matris in venatione captę excisus in Polonia: quem Georgius Ioachimus Rheticus, medicus doctissimus & Mathematicorum nostri sæculi facilè princeps, è Cracovia dono ad me misit. Is paulò lõgior digito est, pollicis crassitudine, corpore pulchrè articulato, distinctoq; perfectè, nisi quòd posteriora crura imperfecta adhuc retrò extenduntur à corporis trunco rectà ferè. anteriora verò perfecta sunt, ita ut manus etiam in palmam seu volam, digitos ac vngues distinguantur. thoracis etiam costæ conspicuæ sunt: oculi, aures & dentes nondum.

LATINE	Leo.	ITALICE	Leone.
GALLICE	Lyon.	GERMANICE	Löw.



LEo animalibus cunctis robore, animo, & crudelitate antecellit: nec feras tantùm, sed homines etiam devorat. Nonnulli quidem multis in locis vel ducentos equites invadere audent. Armētorum greges intrepidè aggreditur, & quos capit in proximum nemus suis catulis defert. Equites, ut dixi, est qui quinos aut senos interficiat. Quicquid apprehendit, etiamsi Camelus foret, rictu aufert. Qui montes frigidos incolunt Leones, minus habent atrocitatis & ferociæ: quantò feruidioribus verò locis degunt, tantò major eorum rabies & audacia est: velut in Temesnæ & Fessæ regnorum confiniis, Angad deserto juxta Telensinum, quiq; inter Hipponam & Tunetum degunt, quos inter celebriores & truculentiores totius Africæ Leones referunt. Vere, dum in Venerem propensi sunt, cruentam inter se exercent pugnā, octo aut duodecim vnà *(vnam)* Leænam insequentes, Io. Leo Africanus,

LATINE	Tigris.	ITALICE	Tigre, vel Tigra.
GALLICE	Tigre.	GERMANICE	Tigerthier.

Tigres vulgò dictas non verè Tigres, sed Thoas maiores esse aliqui putant, &c. Arrianus.

DICTA est Tigris à velocitate. hòc enim vocabulum Armeniorū lingua sagittam significat. Indi Tigrim Elephanto robustiorē multò existimant. aiunt autem eam maximi Equi magnitudine esse, velocitate & viribus tantis, vt nullum ei animal conferri possit. nam si quando cum Elephanto pugnat, insilire in eius caput, & facilè suffocare. Quas verò nos videmus & appellamus Tigres Nearchus scribit Thoas varios & maiores esse, Arrianus in Indicis. Recētior quidam Græcus, qui sub Constantino Monomacho vixit, (cuius de natura animalium libellum manuscriptum habeo, de Tigride & Hippotigride capita separata habet. Hippotigris (inquit) similis est Onagris, animal pernicissimum, pelle maculosa, colore cinereo.

Huius



Huius generis feræ Romæ in Theatro exhibitæ sunt currum trahentes agente auriga, mirabili spectaculo: & talis currus (Tigribus junctus) regiam sponsam vexit.

LATINE Panthera, Pardalis, Varia, Africana, Leopardus. Pardum Plinius à Panthera sexu tantum differre putat, quanquam dubitat.

ITALICE Leonpardo. GALLICE Leopard.

GERMANICE Leppard. Sind klein vnd groß. Vide sequentes duas figuras.



PARDALIUM duplex genus est, inquit Oppianus. sunt enim alię majores, sed cauda minore. alię minores, cauda majore, robore non inferiores. Eandem coloris varij, & figuræ corporis speciem similitudinemq; ambæ, præter caudam, gerunt, &c. Alnemer (inquit Andreas Bellunensis) est animal minus Lynce, id est, Lupo cervario, Leopardo simile figura & colore: sed aliquāto majus, pedibus quo-

que & unguibus majoribus & acutioribus: oculis obſcuris & terribilibus, ut ipſe vidi. Idem Leopardo (qui Arabicè nominatur Alfhed) fortius, ferocius & audacius eſt. Invadit enim & dilaniat homines. Sic ille: ex cujus verbis conjicias Alnemer, Pātherum ſeu Pardalin Oppiani majorem eſſe: Leopardum vero ſeu Alfhed, minorē. Alius eſt Græcorum Panther maſculini tantùm generis, qui lupis adnumeratur. alij enim hunc cervarium Lupum eſſe volunt, qui vulgo Lynx nominatur: alij canarium, (ut Theodorus & Niphus ex Ariſtotele vertunt,) quem Græci etiamnum Pantherem vulgò appellant, Arabes Lupum Armenium, Turcæ Cicalum, animal vile, minus Lupo, & cætera longe degenerans. Idem animal Pantherion & Lycopantheros nominatur, &c. Qui hunc Lupum canarium dicunt, ex Lupi Caniſque coitu natum inſinuant: quale animal nos non rarò vidimus, Cani domeſtico perſimile, nulla cum Pantheris ſimilitudine. Qui verò Lycopantherum nominant, Lupi & Pantheræ ſobolem faciunt: qui Leopardum, Leonis & Pantheræ. Sunt qui vt Pantheræ, Pardalidis, Pardiq; nomina non diſtinguant, (niſi quòd Pardalis vſitatius eſt Græcis, Panthera Latinis: Pardus Latinis frequens, in Græcis libris qui extāt ſemel tantùm legitur, quod ſciam, apud Scholiaſten Pluti Ariſtophanis, ſexu tantùm, teſte Plinio quanquam dubitante, à Pāthera differre videtur:) ita ne Leopardi quidem. Leopardi certè nomen apud Græcos, Latinoſq; veteres hactenus non legimus, præterquàm recentiorem quendam Græcum innominatum, qui Conſtātini Monomachi ætate in libro De animalibus caput vnum περὶ παρδάλεως inſcripſit, alterum περὶ λεοπάρδου, Leæna (inquit) cum conceptum è Pardalide fœtum ediderit, ne Leo inuentum dilaniet, ſe vnà cum illo abſcondit, & plurimis aquis adulterij odorem abluit. Deinde tertium περὶ πανθῆρος: Pantherem, inquit, mater è multorum animalium coitu grauida parit. Indicus verò Panther odoris ſui fragrantia feras ad latibulum ſuum allectas deuorat. Sic ille. Et debebat ſanè Leopardus propriè dici id tantùm animal, quod Leonis Leænæve cum Pardo coitu naſcitur. Sed obtinuit ferè conſuetudo, vt Leopardus ſimpliciter pro Panthera ponatur: vnde & vulgares linguæ ſua mutuātur nomina, peregrinum animal omnes vno ferè peregrino nomine vocitantes. Græci Grammatici annotant Pardalis per a. ſcribi pro fœmina, Pordalis verò per o. pro mare. ſed authores hoc diſcrimen obſeruare non videntur. Pardalis quidem dicta videtur ab Hebraico Pardes, quod eſt hortus: quòd macularum oculis tanquam floribus, pellis eius pulcherrimè ornetur. Ariſtoteles ſcribit Chamæleontem habere pellem pallidam nigris diſtinctam maculis, ut Pardalia, παρδάλια, τά. In aula Regis Galliarum Leopardos duorum generum ali audiuimus, magnitudine tantum differentes: majores vituli corpulentia eſſe, humiliores, oblongiores: alteros minores ad canis molem accedere.

ITALICE Lonza. GALLICE Vnza, vel Vncia.

GERMANICE. Ein Vntz / oder kleiner Leppard. mag ein Hundleppard / (oder Hundpard / Wolfpard /) genennet werden / dann er iſt von groſſe wie ein Rüd / ꝛc.



PAnthera Pardaliſve minor videtur, quæ à recentiorib. Vncia vocatur: quanuis impropriè, ut coniicio. videtur enim Vnciæ nomē à Lynce corruptū. Eſt autem Lynx diverſa quidem & ſui generis fera, Vnciæ tamen dictæ tum corporis ſpecie, tū natura &

moribus

moribus ſimilis. Vnciæ effigiem hîc exhibitam Io. Caius (qui & alias multas rariſſimorum animalium icones deſcriptioneſq; mihi communicavit, eo nomine de hac parte naturæ & eius ſtudioſis optimè meritus) ex Anglia ad me miſit cum hac deſcriptione. Vncia (inquit) fera eſt ſæviſſima, canis villatici magnitudine, facie & aure leonina: corpore, cauda, pede & vngue felis, aſpectu truci: dente tam robuſto & acuto, ut vel ligna dividat: ungue ita pollet, ut eodem contra nitentes in adverſum retineat: colore per ſumma corporis palleſcentis ochræ, per ima cineris, aſperſo undiq; macula nigra & frequēti, cauda reliquo corpore aliquanto obſcuriori & grandiori macula. Auris intus pallet ſine nigro, foris nigricat ſine pallore, ſi unam flavam & obſcuram maculam è medio eximas. Ea è duplici pelle (ea videlicet quæ è regione exteriori maxillæ aſſurgit, & quæ à ſummo capite convenit) in ſumma aure coeunte, conſtituta eſt, facileque in ſicco capite (quale domi meæ habeo) & videri & ſeparari eædem poſſunt. Reliquum caput totū eſt maculoſum frequentiſſima macula nigra, (ut & reliquum corpus,) niſi ea parte quæ inter naſum & oculū eſt, quæ nullæ ſunt, niſi utrinq; duæ, & eæ parvæ: quēadmodum & cæteræ omnes in extremis & imis partibus, reliquis ſunt minores, maculæ in ſummis quidem crurum partibus & in cauda, nigriores ſunt & ſingulares, per latera verò compoſitæ, quaſi ſingulæ maculæ ex quatuor fierent. Ordo nullus eſt in maculis, niſi in labro ſuperiori, ubi ordines quinq; ſunt. In primo & ſuperiori, duæ diſcretæ; in ſecundo, ſex coniunctæ, ut linea eſſe videātur. Hi duo ordines liberi ſunt, nec inter ſe commiſti. In tertio ordine, octo coniunctæ ſunt, ſed cum quarto ubi finit commiſcentur. Quartus & quintus in ſuo principio (quod ad naſum habēt) tenui admodum diſcrimine ſeparati, ſtatim ſe committunt, & unà decurrunt per totum ſuperius labrum, faciuntq; non maculam per totum id, ſed latam lineam. In mortuo animali ita ſe habent maculæ, propter cutis (puto) contractionem. In vivo maculæ iſtæ in ſuis quæq; ordinibus videntur ſeparatæ. In ipſo medio inter hos utrinq; ordines, aliæ minores ſunt exactè per quincuncem diſpoſitæ. Sed in imo labro maculæ, etſi magnitudinē, non tamen ordinem ſervant. Naſus nigreſcit, linea per longitudinem perq; ſummā tantum ſuperficiem inducta leniter. Oculi glauci ſunt. Dentes illi anteriores hinc inde ſex ſunt, humanis non abſimiles, niſi quòd ex his, qui in medio collocantur, minores: qui per extrema, maiores ſunt, ut & ſuperiores imis. His utrinq; dens grandis, acutus, atq; longus eſt, in ima maxilla cæteris junctus, in ſuperiori, tanto ſpacio diſiunctus, quāto dens inferior capi poſſit. Hi labris velantur in vivo animali, ſed in mortuo non item, reductis præ ſiccitate labris. Grandis ille dens, longus eſt digitos Romanos duos, in ambitu ad radicem nō niſi digitis duobus cum ſemiſſe comprehenſus. Denti ineſt cavitas quędam exilis per totam lōgitudinem, quę tamen non apparet niſi rumpatur dens. Inferior maxilla durum os eſt & rigidum, tres dentes habens magnitudine inæquales, ut & ſuperior, quatuor. Cava etiam ea eſt intus per longitudinem. Inter magnum dentem & maxillarium primum inferioris maxillæ, ſpacium eſt unius digiti vacuū, à quo poſitus ſtatim eſt primus, cæteris duobus minor. huic contiguus alius eſt grādior. & poſt hunc tertius etiam, ſecundo maior. In ſumma maxilla, in medio illo ſpacio (quod digiti unius Romani eſſe dixi) inter dentem grandem & primum maxillarem, dens eſt exiguus admodum & informis, demittens ſe tantum leniter è maxilla, nullo inferiore, qui illi reſpondeat, exiſtente. Dimidiati digiti poſt eum ſpacio, ſecundus eſt, cui junctus tertius eſt, & poſt hūc quartus. Inter ſe ita ſuperiores & inferiores maxillares morſu committuntur, ut pectinatim coeant. Duo priores in inferiori, & ſecundus & tertius in ſuperiori maxilla dentes, eius ſunt figuræ, cuius eſt iris

in ſum-

in ſummo diademate coronatorum aureorum regis Angliæ atq; Franciæ. Eius etiam figuræ tertius eſt in inferiori, & quartus in ſuperiori, niſi quòd interior utriuſq; ala, quæ gulæ propior eſt, natura demitur. His conjuncti nulli erant alij in utraq; maxilla. An poſt intervallum unius digiti, finita dentium ſerie, relictum integrum, alij erant inſerti, neſcio. Illud ſcio, nõ niſi poſt id ſpacij amputatas maxillas, quaſi ſtudio monſtrandi dẽtes id eſſet factum, indicioq; nullos ſuperfuiſſe. Vivit ex carne, fœmina mare crudelior eſt & minor. Vtriuſq; ſexus una, ad nos ex Mauritania eſt advecta nave. Naſcuntur in Libya. *Si quod illis coeundi ſtatum tempus eſt, hic menſis Iunius eſt. nam hoc mas fœminam ſupervenit. Leones cicurari poſſunt, id quod ex hoc intelligo, quòd in urbe Lõdino, & in arce Londinenſi Leones cuſtodum ſuorum oſcula excipiunt, cõtactum admittunt, & colludunt. Ipſe vidi. iſta animalia, tam ferocia ſunt, ut cuſtos cum primo vellet de loco in locum movere, cogebatur fuſte in caput acto (ut aiunt) ſemimortua reddere, atq; ita in capſa lignea ad hoc facta, & reſpirationis gratia perforata reponere, atq; tranſportare. Poſt horam reviviſcebant tamen hæc, ut cati, non niſi extremis iniurijs obnoxia morti. Itidem fecit cuſtos cum è capſa exemit. Iam verò novas rationes invenerunt reponendi & eximendi, trahendo ea in capſam fune, & eam promovendo. Ajunt hęc animalia ſæpe cum Leone contendere. Parvum canem non lædunt, niſi fames urgeat: magnum vel ſatiati lacerant. Iratum, vocem ædit irati canis, r. literam geminantis, ſed quàm quivis canis maiorem, ex amplo pectore & arteria ductam: qualemq; canis villaticus redderet, ſi in cupa grandiori incluſus, ad iram ſtimularetur. Quod ſcribunt eſſe cane longius, id mihi non videtur. nam ſunt apud nos multi canes villatici, qui longitudine æquẽt, pecuario tamen & maior eſt & longior, ut & villatico humilior. Vanum eſt: quem Vncia vulneraverit, eum murium concurſu permictum interire. Nam nos vidimus duos cuſtodes ab una Vncia vulneratos, nec tamen mures accurrerunt, nec perminxerunt, neq; ex vulnere gravius quid eſt inſecutum, quàm ſi ex ſano cane, aut inciſione levi vulnus eſſet. Quem ferit, caput petit ſi poſſit, idq; aut ex inſidijs, ſi imparem ſe putet: aut ſimulata benevolentia. Ita enim canem villaticum (ſic M. Varro & Columella eum nominant, quem hodie Moloſſum vocant: cuius generis præcipui pugnacesq; apud nos ſunt in Britãnia, ut ſi uſpiam terrarum, adeò ut ne cum urſo quidem certare ſingulari certamine vereantur) dudum interfecit intromiſſum. primo enim conſpectu, caudæ motu applaudebat: mox ſe proſternebat tãquam ſupplex, tum appropinquabat velut ludibunda, exporrecto pede uno, ut feles ſolent cum ludere geſtiunt. tandem ubi ſecurum putabat canem, ac de vita parum ſollicitum, nacta opportunitate, impetu inſultabat, ac morſu iugulum petijt, nec niſi mortuum dimiſit. à morte, ungue lacerãdo, pectus aperuit, & cor eduxit, primumq; voravit, crudeli more. Hucuſq; Caius.

Alphec (*meliùs Alphed, quod nomen Andreas Bellunenſis ſimpliciter Leopardum interpretatur. Vide ſupra in Panthera*) animal eſt perquàm ferox & noxium: multi in Italia, Gallia & Germania Leunzam (malim Vnciam) vocant, Albertus. Vncia (inquit Iſidorus, neq; apud antiquiorem Iſidoro ullum hoc nomen legi puto) eſt animal ſæuiſſimum, nõ altius cane, ſed longius corpore. canibus valde infenſum. prædam non edit niſi in ſublimi. & ſæpe cum ad arborem venit, à ſummo ramo ſuſpenſam vorat, &c. Aliqui corruptius Lauzanum pro Vncia ſcripſiſſe videntur.

Latine Genetha, vel potiùs Genetta, aut Ginetta apud Albertum & recentiores, Forſan genus quoddam Pantherij, ſeu Pantheris Thoisve minoris.

Genetha ardua non aſcendit, ſed in humilibus locis & iuxta rivos degit, Iſidorus: quo nemo antiquior puto hoc nomine uſus eſt. Ginettas Hiſpania mittit, forma & moribus domeſticis Muſtelis, quas Itali Foinos vocant, ſimiles, pelle varia, ac nigro & cinereo alternanibus maculis diſtincta, Cardanus.

Contra

Ginettæ pellis, qualis apud pellifices spectatur.



Contra quem Scaliger: Quum domestica Mustela, inquit, perpusilla bestiola sit, quomodo Ginettarum speciem ei attribuere ausus es? Vnius Ginettæ corium amplius tricenas continet Mustelinas pelliculas. Lutram enim maximam æquat. Si tam esset inventu rara, quàm admirabili pulcritudine est: sine controversia, præter cæteras summo in pretio futura erat. Macularum crebritas, ordo, vegetus splendor nulli cedit. Idem in Hispania hoc animal generari scribit. Genethas Constantinopoli per domos, cicures vagari sinunt, tanquam Catos, Bellonius.

Ginettæ icon à Bellonio exhibita, nescio quàm accuratè facta. macularũ quidem specie pellis differt ab illa, quam nos probè scimusq́; à pictore nostro expressam dedimus.



GALLICE Ginette. - GERMANICE Genithkatz.

LATINE

Hanc iconem doctus & nobilis quidam vir Mediolani nobis olim pingendam curauit. accuratiorem aliam ad finem huius libri dabimus. p. 126.



LATINE Catus aut Felix Zibethi vel Zibetti: Catus Zibethicus Scaligero. Nonnulli è recentioribus Græcis, ut ſcribunt Hermolaus & Ruellius, hoc animalis genus Zapetion appellant: & eodem nomine compoſitionis (ſeu odoramenti) genus, quod ex animalis moſcho, agallocho & ambare conſtat: quæ etiam net vocatur à Græcis quibuſdam vocabulo Arabico, & aliter algalia: hodie pharmacopœis galia moſchata: gallis vulgò ciuetta. Aëtius ſuffumigium regium vocat: ſed ſtyracem addit: Fortè autem Zibetti nomen originis Hebraicę fuerit, ſicut & Cyphi medicis notum, (vnde Cypriarum auicularum nomen ſeplaſiarij Galli detorſerunt, & à ſuffitu (vt conijcio) dictum. caua enim vel cauot Hebræis vrere ſignificat, vt Græcis καίω καίζω: nimirum quod qui ex hoc animali colligitur ſuccus, eodem ferè odore, quo cyphi ſuffitum percipiatur. Aliqui hanc feram ad Pantheræ vel Pantheris genus pertinere coniiciunt: Bellonius Hyænam eſſe ſuſpicatur. ego verò ſui generis Indicum Æthiopicúmve animal eſſe dixerim. In animalis huius, tam maſculi quàm fœminæ genitalibus folliculum odorati humoris feracem gigni Cardanus tradit: diſtinctiùs verò Alexander Benedictus: Odoramentum (inquit) ex hoc animali colligitur, in fœmina inter genitale & aluum, in mari inter genitale membrum ac teſtes. Zibeth (inquit Scaliger) vocatur odoramētum quoddā pingue, craſſum, nigri ſaponis facie: quod ſudor eſt animalis, & ſtrigmentum quoddam: non ſemen, vt quidam putant, nec humor exactus è loculis genitalibus. extergitur autem cochleario argenteo æreóve, aut quod nonnulli magis probant, corneo. neq; verum eſt, quod aliqui aiunt, nullo vnquam tempore miteſcere. Tres Romæ vidimus apud Cardinalem Galeottum. Vnum Mantuæ. Romanenſes illos pipionum carne ad ſucci prouētum ali videbamus. non niſi irritatis peti atq; diſtringi. quoniam & plus materiæ cieretur, & odoratius eſſet virus illud. Tantumq; abeſt vt eſſent implacabiles, vt vnus eorum humeris geſtari ſe pateretur. Ab Alexandria advectos illos aiebant Cardinali. neq; enim in Hiſpania gignuntur, vt aliqui fortè putant. Ladanum & Zibeth maximè ſunt affinia. Collectum Ladanum (quippe è Creta quàm recentiſſimum allatum habuimus) tam malè olet, quàm Zibeth, cúm detergitur. Tempore & arte purificatum deponit virus, & fit ſuave. ſic & Zibeth. Ex literis Io. Caij Angli ad me: Nuper fortuna mihi Zibettum animal ex Africa obtulit. Id curioſius ad viuum atq; diligentius depictum ad te mitto, vt non ſit ouum ovo ſimilius. Id fele quovis majus eſt, & taxo paulò minus, facie acuta ut taxi aut martis, aure breui obtuſa & orbiculari, intus palida, foris nigra, niſi in marginibus, vbi palleſcit. Oculo cœruleo & cœleſti,

cœleſti,crure & pede nigro,explanatoq; magis quàm feli: vngue item nigro,nec in pede abdito,nec ita adunco vt feli,dente magis quàm vngue timendum. Totũ eſt maculoſum. Etenim naſus ille niger eſt. ima pars maxillæ ſuperioris palleſcit, media nigreſcit: inde ad verticem melino colore eſt. Inferior maxilla nigra eſt tota. Setæ in labro ſuperiori albæ ſunt in pallida cute, ut & paulò ſupra oculum duæ aliæ albæ, in cute nigra. Guttur nigreſcit. Paulò infrà ſupraq; aurem lineæ tres nigræ oriuntur, quarũ prima, rectà deſcendit ad guttur: ſecunda, obliquè defertur ad mediam colli longitudinem: tertia obliquè item ad armum ferè pertinet. Paulò infrà id loci, contrario ducto, aliæ lineæ exorſæ, ſemicirculari penè modo aſcendunt ad ſpinam per armum, idq; per armi tantum regionem. Nam cæterum corpus macularum lineas (ſeu ordines) abruptas aut continuas, per corporis longitudinem diſpoſitas, aut productas habet. Etenim quæ per ſpinam tenditur vna, longa eſt & continua, ab armis incipiens: ſecunda vna item, ſed abrupta vt & tertia. Quarta & quæ deinceps ſunt, maculæ diſcretæ ſunt, ſed ita ut in longitudinẽ porrigatur earum poſitio. Cauda illi ex dimidio priori maculata, ex poſteriori nigra ex toto eſt. Pilus per faciem, tibiam, atq; pedem, mollis eſt & ſeſſilis: per reliquum corpus, profundus, rigidus, & erectus. Maculæ penitus deſcendunt, non per ſumma tantũ incumbunt. Lingua non ſcabra, ſed læuis eſt. Sub cauda meatus eſt, vt cæteris animalibus, per quem alui excrementum egerit. Paulò inferius, Ciuettę receptaculum eſt, Pari poſt ſpacio pudendum maſculinum eſt, in corpore abditum. Iratum, vocẽ edit irati canis r. literam geminantis. Aliter affectum, felis, cum adhuc ſit juuenis, ſed ſubmiſſam. Longum eſt Zibettum à capite ad caudam, pedem vnum, palmos tres, & digitum vnum Romanum. Craſſum, ſub ventre maximè, quà maximũ eſt, pedem vnum, palmos duos, & digitos tres Romanos. Manſuetum animal hoc noſtrum eſt, & tractabile. Vendebatur libris 8. noſtratibus, hoc eſt coronatis Gallicis 24. aut florenis Rhenenſibus 48. Hæc omnia Caius. Tua Zibethici Cati imago (inquit Io. Kentmannus ad me) non probè expreſſa eſt: ea quam mitto *(miſit autem illi quàm à Io. Caio accepi vndiquaq; ſimilem)* accuratè depicta eſt ad hujus generis animal viuum, quod Illuſtriſs. Saxoniæ dux Elector Io. Fridericus 70. taleris *(taleri precium eſt circiter denarios argenteos octo cum dimidio)* emptum habuit, anno Domini 1545. Animal eſt mundiciæ ſtudioſum. locus in quo degit, euerri debet quotidie, & vaſa elui. longum erat vlnam communem, dentibus inſtar Canis armatum. Succus odoratus quo turget, bis in ſeptimana ei demebatur: ſecus enim affricabando ſe ad quæuis proxima, eum exprimebat. Cibi auidiſſimum & vorax eſt. conſumebat enim quotidie ove elixa dura numero quindecim, ſingula decorticata ſingulis bucceis: aut carnis libras *(16. vnciarum nimirum)* duas, aut pipiones duos, aut duos gallinaceos pullos. Omnem eius cibum in aquam imponebat miniſter. Poſtea cum is princeps amico cuidam hanc felem donaſſet, negligentius tractata breui interiit. Quanquam autem ſumptuoſa ſit eius nutritio, pretio ſucci qui ex eo colligitur, ſumptus penſatur non ſine lucro. Hæc ille. Zibethi feles, (inquit Io. Leo Africanus) naturæ ſylvaticæ ſunt, atq; in Æthiopiæ ſyluis reperiuntur. Mercatores catulos ſaltem comparant: quos lacte, furfure & carne nutrientes in caveis alunt. excrementum verò bis vel ter ſingulis diebus excipiunt, quod quidẽ animalculi ſudor eſt. nam virgula crebris ictibus percuſſum frequẽter per caueam agitatur donec erumpat ſudor: quem ſub coxis, brachiis, collo & cauda excipiunt: quod quidem excrementum vulgò Zibethum dicitur.

LATINE Lynx vel Lupus Cervarius, vel Chaus, vel Raphius, & Thos ſecundum aliquos. Chaus animal (inquit Plinius) quod Galli Raphium vocant Lupi effigie, Pardorum maculis. Vncię nomen quanquam recentiores Leopardo ſeu Pantheræ minori tribuunt, à Lynce tamen corruptum videtur. eſt autem & ingenio & corporis effigie ſimile animal. cauda breuior Lynci, illi longior, &c.

ITAL. Lupo ceruero. GALLICE Loup ceruier.
GERMAN. Luchs oder Lux. ANGLICE Luzarne.

Icon hæc proba eſt, excepta facie, quæ Felem referre debebat. meliorem quæres ſub finem huius libri.



EST in arce Londinenſi (inquit Io. Caius) animal carniuorum, agni bimeſtris magnitudine, corpore toto, capite, ore, pede & ungue felis. Sed ſua barba atq; cauda, illa, utrinq; depẽdente, ex dimidio anteriori nigra, poſteriori alba: hac, breui atque craſſa, ex dimidio ſuperiori ruffa, inferiori nigra. Oculo flaueſcente, cilio obſcurè albicante. Aure, ut cati, erecta, pilo intus albo & tenui repleta, foris albo & nigro veſtita, ſed ita ut ſumma pars nigro, media, triangulari ferè modo, candido, & ima nigro veſtiatur. Nec eſt ea contenta ſuo orbe finiri, niſi etiam & anterior eius pars ſeu extrema margo & poſterior etiam, eo modo recurvetur in auerſum, quo modo margines galeri ſacerdotis Græcæ apud Venetos eccleſiæ ad ſuperiora replicantur. Summis auribus inſident pili aliquot nigri, veluti criſtæ. Color animali eſt in extima parte, ruffus, in intima albus, ſed reſperſus hîc fuſcis & ferè per quincuncem diſpoſitis, illic ſui coloris obſcurioribus maculis, ſingulari pilo candido & itẽ frequenti per univerſum corpus præter cætera conſpicuus, ut eſt in quibuſdam cuniculorũ nigris pellibus. Ex utraq; naſi parte, maculæ quatuor ſunt, ordine recto poſitæ. In utroq; labro, ut nunc dicemus. In ſuperiori labro, quinq; ſunt macularum ordines æquidiſtantes. In primo ordine & ſummo, quatuor: in ſecundo, quinq;: in tertio, octo: in quarto, quinq;: in quinto, quatuor ſunt, & hæ etiam in ſuo quæq; ordine æquidiſtantes. In imo labro, ſeptem ſunt tãtum inſigniores, duobus ordinibus collocatæ. In primo, quatuor, ad ipſam labri oram: in ſecundo poſt eas, tres aliæ: poſt has, aliæ minores, ſed non ita certa lege diſpoſitæ ut ſuperiores. In ſuperiori labro, utrinq; extant pili quidam rigidiores atque albi, ut in catis & leonibus. Naſus illi ruffeſcit pallidè, diſtinctus à cætera facie undequaque linea nigra. Extremum naſum per longitudinẽ alia linea (ut in Vncia) dividit, ſed per ſumma tantum leuiter ducta, non per ima altius impreſſa. Pes illi calloſus eſt, & unguis, ut Feli & Vnciæ, in pede abditus, nec niſi appetendo prætendit, ut illæ. Scandit mirum in modum, ita, ut, ea in re quid poſſit, ipſa natura vel in cauea docet. Mobile animal eſt, & loco ſtare neſcit, adeò ut niſi fortè fortuna Pici martij vox ex corbe cuiuſdam ruſtici, (qui tum Leones videndi cauſſa venerat) quietum reddidiſſet & attentum, nulla fuiſſet ſpes exquiſitioris delineamenti. Eo præſente, quietiſſimum erat: illo diſcedente, nuſquam conſiſtebat.

Quamobrem

Quamobrem coactus eram misso post rusticum famulo, vocalem illum emere, quo præsente, mirabundum tantisper constitit, dum confecto negotio atq; absoluto opere discedendum fuit. Luzarne nostri vocant, Leunciámne an Lyncem ex vocum symphonia dicturi, ambiguum est. Pellis in usu est magnatum, & preciis venditur amplioribus. Non candescit nisi in iniuriosos. Vocem reddit qualē felis, cum succenset socio cibum prærepturo. Custodi blandum est & mite, nec in quenquam sæuum. Hactenus Caius. Inusitatæ formæ animal Anno Domini M D XLVIII. mense Maio è sylua Aureliana in agrum Bituricensium impetum fecit, tāta feritate, ut nemo agricolarum aut viatorum tutus ullis armis esset. Mediæ inter Lupum & Cervum naturæ fuit, (*dicere forsan noluit Lupum cervarium fuisse,*) antea illis in locis ignotum. Hæc ex Chronicis cujusdam, qui addidit Paralipomena historiæ Carionis. Ego, si bene memini, non in Gallia natū animal ita grassatum esse accepi, sed Leopardum, qui ex aula Regis, ubi alebatur, euaserat. & hoc alicubi in Historia quadrupedum à me literis mandatum puto, locus jam non occurrit. id cum legisset Io. Caius, sic ad me scripsit: Quod scribis de Leopardo Regis Galliæ, potest etiam scribi de quodam quem habuit Angliæ Rex Henricus VIII. uti mihi retulit nobilis quidam septuagenarius eius olim familiæ. Sic ille: & certè verisimilius est, Pantheræ quàm Lyncis tantum robur & tā-tam sævitiam fuisse. Cæsar Scaliger libri de subtilitate ad Cardanum, Exercitationis 210. prima parte, sentire videtur feram quæ Luberna vulgò dicatur, fœminā esse: Lyncem verò marem, Lupum ceruarium scilicet. Huic. n. (inquit) breves, orbiculares, distinctæ maculæ: illi productæ, & admodum continuæ pleræque. Lupi autem dici videntur ab aviditate, vicina enim omnia populantur. quocirca in Scandinavia ubi Lyncum frequentia, aliarum ferarum insignis raritas. ad victum maxima ex parte agrestium felium prædam faciunt. Cervorum esse hostes acerrimos (unde cervarij nimirum cognominantur) ex Oppiano disces: qui luculentissimis versibus ejusmodi pingit venationem, qualem pugnam Delphinis & Amiarum: ac Thoas vocat. Sic ille. Sed cum Lynces etiam alibi ab Oppiano nominentur, quorum genera duo facit, Thósne an Lynx sit Luchsa nostra, considerandum est.

ALIA Lyncis effigies (ex tabula regionum Septentrionalium Olai Magni) Felem sylvestrem persequentis. GERMAN. Der klein Luchs / wirt in Gottland gefunden / jaget die wilden Katzen.





Hanc sequentem imaginem Hyanæ in veteri Græco Codice manuscripto poëmatum Oppiani reperi, mihi quidem non placet.

LATINE Hyæna vel Belbus: cujus hæc imago est, qualem in vetusto codice Græco poëmatum Oppiani manuscripto reperimus. Vomitionē hominis imitari traditur ad solicitandos canes, quos invadat, ut ex Aristotele Plinius repetit. Hyænæ autem nomen factum est, ab eo quòd eius dorsum seta duriore & longiore tanquam suilla rigeat:



corpus reliquum,quod cærulei coloris(ut Oppianus tradit)tæniæ diſtinguunt,non item.Phryges & Bithyni Hyenam Ganon vocitant, Heſychius: ſed Glanon videtur legendum ex Ariſtotele: quanquam Auguſtinus Niphus etiam Hyenā Epheſij Gannum (n.duplici) vocari,ex Philopono annotauit.Et nimirum etiam Glanis piſcis graſſator ac voraciſſimus (Siluro opinor cognatus) ab hac quadrupede ſuum nomen accepit. Arabicè Zabo vel Dabu nominatur.Syriacè Dabha vel Dahab. In ſacris literis bis legimus Zeebe ereb,& ſemel Zebee Araboth: interpretes variant.nā Lupos Arabię ut ſolitudinū, aut veſpertinos interpretantur. ego Hyænas eſſe crediderim: quæ veſperi & noctu graſſantur,Lupis alioqui ſimiles in multis; ſed magis quàm illi aſtuti, malefici, voraces atque crudeles. Dabuh (inquit Io. Leo Africanus) Arabica appellatione, Africanis Leſef dicitur. Animal id & magnitudine & forma Lupum refert, pedes & crura homini ſimile. Reliquo beſtiarum generi nō eſt noxium, ſed humana corpora ſepulchris euellit ac devorat, abjectum alioqui ac ſimplex animal. Venatores antrum in quo degit edocti, tympanum cātantes pulſant: cujus harmonia demulſum, non animadverſis technis, ſolido fune crura conſtrictum extrahitur ac interficitur. Sic ille. quibus perlectis ſtatim animaduerti animal quod vulgò Papionem vel Babuinum aliqui nominant, omninò Hyænam eſſe: Olim Arctopithecum eſſe ſuſpicabar, (propter informem & urſinā ferè corporis craſſitiem, & ceu manuum pedumque cum eiſdem in Simia aut homine partibus ſimilitudinem, quodque arbores ſimiliter aſcendit, & iiſdem veſcitur cibis:) quæ omnia tamen non ſolum cum Simia, ſed etiā Vrſo ferè, ut & pili colorem, communia habet, tanquam Arctocyon quidam, hoc eſt ex Cane & Urſo compoſitū animal. Bellunenſis Cani ſimile eſſe dicit, mediū inter Lupum & Canem, noctu latrare: in Syria abundare inter Damaſcum & Berytum. Ejus figuram pag. proxima adijcio, qualem reperi in charta quadam typis excuſa.

IN eadem charta deſcriptio Germanica continebatur hujuſmodi: Hoc animal Papio (Pauyon Germanicè ſcribitur) à frequente populo ſpectatum Auguſtæ Vindelicorum, anno Salutis 1551. in magnis Indiæ ſolitudinibus, & rarò quidem, reperitur. Veſcitur malis, pyris, & alijs arborum fructibus: apud nos etiam pane. in potu vinum amat. Eſuriens conſcendit arbores, eaſq; concutit, ut fructus decidant. Quòd ſi Elephantum ſub arbore viderit, nihil curat: alia verò animalia cum ferre non poſſit, omnibus modis repellere conatur. Naturâ alacre eſt, & præcipuè cum mulieres viderit (ad libidinem pronum) alacritatem ſuam oſtendit. Digitos in pedibus quatuor humanæ manus digitis ſimiles habet. Fœmina in hoc genere ſemper geminos parere ſolet, marem ſimul & fœminam. Hæc ad verbum ex charta illa reddidimus. Papionem quem pingis (inquit Petrus Coudenbergius, Pharmacopola Antverpienſis eximius, in epiſtola ad me) vidi viuum: nec ineptè depictus eſt anum oſtentans. nam ad nutum, haud ſecus atque caput reliqua animalia, eum vertebat, frequentiùs populo oſtentans. Sub genere vno cōmuni, ſed quod nomine vacat, ſunt Lupus, Canis, Tigris, Vulpes,

& Hyæna,



Scaliger. Ego aliquando Simiarum generis cum propter causas prædictas hoc animal esse coniiciebam: tum quia Babuini nomen, ad Papionis nomen alludit. Sunt autem Babuini (ut Io. Leo Africanus scribit) Simiæ non caudatę, verùm Papio (ut apparet) caudam brevem gerit. qui si non Arctopitheci, Lycopitheci tamen ex Lupo & Simia compositum, corporis simul & morum ratione meretur. Quòd si Hyæna hæc est, ut omnino persuasus sum, (nam & Arabes medici, ut Avicenna de animali Dabha nomine, eadem scribunt, quæ de Hyæna Græci,) non erit Lupus aureus Oppiani (is enim Hyænæ seorsim meminit) ut Bellonius conijcit in Singularibus suis libro 2. cap. 108. Paruus quidam Lupus (inquit) in Cicilia & tota ferè Asia reperitur, qui rapit & aufert quæcunq; invenerit noctu circa dormiẽtes, (ad quos proximè accedit) ut pileos, ocreas, frenos, calceos & hujusmodi. Forma ei inter Lupum & Canẽ est. Multi ejus veteres tũ Græci tũ Arabes (Arabicum nomen non exprimit) meminerunt. Gręci hodie vulgò appellãt Squilachi (σκύλαχοι *nimirum multitudinis numero pro* σκύλακες:) & hic esse videtur quem Græci authores Lupum chryseon, id est, aureum, cognominant. Non multò minor est Lupo. Noctu inclusus, Canis instar latrat. Nunquam solus reperitur. est enim gregarius, adeò ut aliquando ducenti in unum gregem coëant, & nihil per Ciliciam hoc animali frequentius fit. Vociferantur autem in grege alius post alium, ac si Canis vocem hau hau repeteret. Color eis egregiè flauus est: quamobrẽ pellis eorum vestibus fulciendis destinata non parvo illic in precio est. Hęc ille. Atqui solus Oppianus Lupi aurei meminit: qui in altis montibus degat, Lupo præstantior fera ac robustissima, præsertim ore & dentibus, ita ut æs & saxa aliquando perforet. at Papio inferior viliorq; est Lupo. quamobrem Papionem, Hyænam esse concludimus, multis hactenus seculis re, nomine & figura doctissimis etiã viris ignotam. Quod ad nomen Dabha, Syriacum illud vel Chaldaicum esse apparet. Deeba Chaldæis Lupus est, Hebræis Zeeb vel Seb. solent autem Chaldæi z. in d. mutare. Alsebha (inquit Andreas Bellunensis) nomen est commune ad omnes

quadrupedes,quæ hominem dentibus & vnguibus invadunt,mordent, lacerāt, & aliquando interimūt,ſicut Leo,Lupus,Tigris,& ſimiles. inde mores alſebhaic dicuntur,ferini ſcilicet,immanes,crudeles,belluini:quales huius generis animalium ſunt.Sic ille. Vt Dabha Hyænam Syris & Aſſyriis, ſic Dob Vrſum ſignificat. eſt autem,ut prædiximus,aliqua inter has feras ſimilitudo.Lupi quidem aurei,de quo diximus cognomen,ab Hebræis ſeu Syris ductum videtur,qui aurum nominant ſahab,vel ſehab,& dahab vel dehab: Lupum verò ſeeb, deeb, deeba. Circa Hyænæ tamen colorem non omnibus convenit. Ariſtoteles Lupi ferè colorem ei tribuit,quanquam non omnes Luporum ſpecies eodem colore ſunt: Andreas Bellunenſis Vrſi:Bellonius aureum: Oppianus frequentes utrinq; cœrulei coloris tænias.Coit Hyæna cum aliis etiam ſpecie diverſis animalibus.nam ex Leæna Æthiopica Crocutam parit,ut Plinius ſcribit.Heſychius Thôes ex Hyæna & Lupo generari ſine authore tradit. Thos (inquit Euſtathius in librum XI. Iliados) animal eſt Leonibus inimicum, & Lupo ſimile,ſecundum veteres, unde & vulgò fortè Lycopanther vocatur. Et rurſus in lib. XIII. Veteres (inquit) Thoem tradunt Hyænæ ſimilem eſſe,& cum ſaltu ingredi,idq; ſtatim ut natum eſt: (ὅτι ἡ βάδισις μετ᾽ ἅλματος, ὃ τεχθὲν ἅμα βαδίζει.) quam obrem erramus qui vulgò Lycopantheres feras degeneres (ἀγεννεῖς) & fructibus veſcentes,putamus eſſe Thoes,qui vel aduerſus Leonem audacia præditi ſunt.Hæc Euſtathius. Homerus quidem lib. XI. Thoes Ceruum (ſagitta percuſſum,cū jam ſanguine exhauſtus fugere amplius nequit) laniantes,ſuperventu Leonis diffugere canit.Hyęnam,Crocutam (fœminino genere,vel Crocottam maſculino,) Leucrocutam & Mantichoram ſeu Mantiorā veteres in ſuis deſcriptionibus confundere videntur. Porphyrius Hyænam dicit ab Indis appellari Crocutam. Videtur autem ut Pantherarum genus eſt duplex, ita & Hyænarum genus unum in Syria eſſe,minus & innocentius: alterum verò majus & pernicioſius apud Indos ac Æthiopes, quod illorū lingua Crocuta nominetur,& ab imperitis cum Leucrocuta,cui acies dentium perpetua eſt, cōfundatur,eò quòd ſimiliter homini inſidietur,&c.hanc Indicā Æthiopicámve Hyęnam cognominare licebit.Qui in Æthiopia vocatur Crocottas (inquit Agatharchides) tanquam ex Lupo & Cane compoſitum animal; hoc nomen accepit. vtroq; tamen ſæuius eſt,& multò gravius (βαρύτερον) facie ac ſummis pedibus.robore admirandus,dentium vi præcipua,& ventris (omnia concoquentis.) facilè.n. omnium oſſium genus frangit,comminuit,deuorat,& incredibili concoctione conſumit.Eundem aiunt ſermonem humanum imitari,quod nobis quidē non perſuadent:& nominatim vocatos nocte, accedentes ad ſe tanquam hominem, deuorare.Hyęna ex Lupo concipit & parit Onolycum (lego Monolycum) dictū, qui non in grege,ſed ſolitarius degit,inq; homines & pecora graſſatur, ut ſcribit Græcus recentior, qui etiam pilum acutum ad denſum (τρίχα ὀξεῖαν καὶ πυκνὴν) ei tribuit:& ſine vertebris collum, vno rectoq; oſſe rigens,ſicuti Plinius quoq; & Solinus.quod de Lupo etiam Ælianus ſcribit,& aliqui de Leone. ego omnium animalium,quæ collum propriè dictum habent,vertebris id conſtare puto. Scaliger Leonis collum vertebris conſtare affirmat, contra quàm proditū ſit ab antiquis. Hyænæ forſan cognatum eſt animal quod aliqui Gulonem vocant, de quo proximè dicemus.

Itali, Galli, & Germani Papionem appellant, vel Babionem potiùs, neſcio qua de cauſa: Babion, Babuin, Babian: quāquam aliqui Babion Gallicè Germanicè & Illyricè dictum animal, Cynocephalum interpretantur. Dieß Thier hat ein frombden namen Babian / mag ein Nachtwolff / Hundswolff / Bärwolff / oder Affewolff genennet werden: oder ein art deß Vilfraſſen / von welchem hernach volget.

Gulo



GVLO dictus ab Olao magno, ex cuius Tabula Septentrionalium ad Europam regionum iconem hanc qualemcunque mutuati sumus. Idem in regionum istarum historia, qua parte de animalibus earum scribit: Inter omnia (inquit) animalia quæ immani voracitate creduntur insatiabilia, Gulo in partibus Suetiæ Septentrionalis præcipuè memorabilis est, ubi patrio sermone Ierff dicitur, & lingua Germanica Vielfraß, Sclavonicè Rossomaka à multa comestione: Latinè verò nõ nisi fictitio, Gulo, videlicet à gulositate appellatur. Magnitudo eius, quæ magni Canis: aures & facies Cati: pedes & vngues asperrimi. corpus villosum, prolixis pilis subfuscis. cauda Vulpis, (*Corpus & cauda Vulpis, inquit Matthias à Michou, qui in Lithuania & Moscovia hoc animal inveniri tradit,*) sed breuior & pilis densior: unde optima conficiuntur hyemalia capitum tegumenta. Hoc animal reperto cadauere tantùm vorat, ut violento cibo corpus instar tympani extendatur. inuentaq; angustia inter arbores se stringit, ut violentiùs egerat: sicq; extenuatum revertitur ad cadaver, & ad summũ usq; repletur, iterumq; se stringit angustia priore, repetitq; cadauer, donec eo consumpto aliud solicita venatione inquirat. Caro eius omnino inutilis est ad humanam escam. sed pellis percommoda atque pretiosa. Candet enim fuscata nigredine instar panni Damasceni, diuersis ornata figuris: eademq; eo pulchrior aspectu redditur, quò magis artificum diligentia & industria, colorum conformitate, in quocunq; vestium genere fuerit coniuncta. Soli principes & magnates eo indumento tunicarum more confecto hyemis tempore utuntur: quia calorem concipit citiùs, & diutius seruat conceptum: idq; non solùm in Suetia & Gothia: sed & in Germania, vbi raritas harum pellium maiorem sortitur æstimationem. Et huius causa sagittis à venatoribus hoc animal petitur. Hæc ille. Rosomachæ nomen Sclavonicum est, inquit Scaliger: nos joco Vulturem quadrupedem consueuimus appellare. cadauera nãque miro certoq; odore sectatur.

An Hyæna quædam Scythica hoc animal sit, vel potiùs suis generis; quærendum.

Pileo ex huius feræ pelle confecto vel Polonorum reges aliquando vtũtur. Pili in ea (ut Schnebergerus meus ad me scripsit) sunt longi, sed non admodum densè dispositi, nigri, splendentes, ut Zobellæ videri possint: minoris tamen quàm Zobella venditur. Alitur hoc animal apud Lithuanos (ut audio) in principum aulis propter admirandam voracitatem: tantumq; robore pedum valet, ut arborem in duas partes diuidat, & aluo per medium districta se exoneret, ita ut tu verè scribis. Iam scripsi ad CL. V. Ioachimum Zimmermanum, qui Vilnæ (quæ urbs Lithuaniæ caput est) medicum agit Illustrissimi principis, utq; curet mihi depingi hanc feram, & certam eius historiam perscribat tuo nomine rogavi. Hæc ille.

GERMAN. Ein Vielfraß/ wirt gefunden im Künigreich Schweden: auch in der Littaw/ vnd bey den Moscouiten oder Reussen. Frisset sich so voll an andern abgestandnen Thieren/ dz er vor völle vnd verstopffung ein enge zwüschen zweien baumẽ sücht den bauch zu streiffen/ vnd das gefür außzutrucken.

LATINE Lupus. ITALICE Lupo. GALLICE Loup. GERMAN. Wolff.



LVPORUM genera quinq; Oppianus describit: quorũ primus ab eo vocatur τοξότης, id est, sagittarius, (à celeritate fortassis: qua tamen non hunc, sed secundũ inter Lupos præstare ait,) perquam audax, toto corpore ruffo seu fuluo, membris rotundis, capite præ cæteris Lupis grandiori, ut cruribus etiam maioribus & velocibus. Venter eius canis aspersus maculis albicat. Vlulat horrendùm, & sublimi impetu fertur. Caput assiduè concutit, igneis oculis. II. Circus (nimirum à si-

mili ingenio Circi auis in Accipitrum genere) vel Harpax, id eſt, Raptor, corpore maior & longior, omnium velociſſimus, argenteo per latera & caudam colore. Hic montes habitat: & magno cum impetu ſummo mane venatum exit, perpetuò famelicus: Cum montes nivibus replentur, interdum ad urbes per famem impudentiſſimus accedit, furtim omnino & placide, donec in propinquo alicubi Capram corripiat. III. Aureus cognomine, præcipua pulchritudine ſpectabilis, multis comatus pilis reſplendet. is niuoſos Tauri ſcopulos, Ciliciæ rupes, & Amani iuga incolit, non Lupus, ſed Lupo præſtantior, ardua fera. Robuſtiſſimus eſt: præcipuè autem ore & dentibus valet, æs, ferrum & ſaxa aliquando perforãs. Sirium orientem metuit, & mox in aliquem terræ hiatum aut obſcuram ſpeluncam ſe abdit, donec Solis æſtus imminuatur. IV. & V. communi nomine Acmones nuncupantur, (neſcio quam ob cauſam: niſi acmonis, id eſt, incudis aliqua in corpore eorum ſimilitudo reperiatur: aut ab Acmone forſan aue rapace Aquilarum generis:) utrique paruo ſunt collo, humeris latis, hirſutis femoribus & pedibus, roſtro minore, oculis parvis. ſed differunt, quòd alteri dorſum argenteum & venter albus ſplendeant, ac ſoli pedes imi nigricent. hanc aliqui Ictinum (id eſt Miluum) cânum (ἰκτῖνον πολιότεχχα) nominarunt. Alter colore niger, corpore minor, non tamen infirmus, Lepores in primis invadit, & rectis undique pilis riget. Hęc Oppianus. Videtur autem primum Luporum genus eſſe, quod pleriſq; regionibus, præſertim planis, communius eſt. ſecundum verò, mõtanum ſive alpinum. in Rhætia quidem noſtra magni Lupi nigricãtes reperiuntur, robuſtiores, & maioris precij: audio tamen cum illis ſępe etiam alios minores & communes Lupos inveniri. Moſcovia qua jungitur Lithuaniæ, paſſim in Hercynia ſylua, prægrandes ac atros Lupos, eoſq; ferociſſimos gignit. Pellium apud nos artifices Lupos è Suetia in primis commendant: quòd egregij, magni & cinereo ſiue cano colore ſint. In Landſerucca (quæ maxima Scandinaviæ ſylua eſt) tria Luporum genera capi, Olaus Magnus prodidit in explicatione Tabulæ ſuæ. Idem in Septentrionalium regionum hiſtoria: Sunt (inquit) in montibus Doffrinis, qui Suetiæ ac Norvegiæ regna diuidunt, Lupi albicantis coloris, gregatim ut pecora, partim in vallibus, partim in montibus vagantes: quorũ eſca ſunt animalia imbecilla, ut Mures, Talpæ, & hujuſmodi. Syluestres verò & communes Lupi, armentis & pecoribus incolarum mira importunitate inſidiantur. contra quos venatio publica inſtituitur. non verò tam curam habẽt ut veteres Lupi interimantur: quàm ut tollantur catuli ne adoleſcant. Quidam ex catulis ſic interceptis etſi domeſtici fieri videantur vinculis clauſi, ſæuitię tamen ſuæ non obliti, quibuſvis aliis, etiam volatilibus, inſidiantur. Fœtus quidem ex iis & Cane domeſtica procreatus, valde inimicus efficitur omni reliquo Luporum generi, quod gregibus inſidiatur. Eſt & genus Luporum Thoes dictum, cæteris longitudine procerius, ſed brevitate crurum diſſimile, velox ſaltu, &c. Sed hæc veteres de Thoe ſcripſerunt: quæ ab Olao non ſimpliciter repeti oportebat. Genus vnum anonymum eſt, quod continet Lupum, Canem, Tigrem, Vulpem, Hyęnam. Scaliger Exercitatione 202. ubi contra Cardanum ſcribit Luporum & Canum ſpecies eſſe diuerſas, nec in vicem trãſire: & Lupum non ſola feritate à Cane diſtare, ſed tota ſpecie. Reperiuntur enim (inquit) Canes feri, qui neutiquam Lupi ſunt. In latibulis montis Falconi multis iam ſæculis agitant Canes abſque ulla hominum ſocietate: cui tantum abeſt ut ſeſe accommodent, ut maxima ex parte carnibus veſcantur humanis. Lupi tamen neque habent faciem, neque vocem, neque vocis modum, neque mores. Non enim eos exigit inde fames ad vaſtandos greges.

Lupus



LUPUS Scythicus, si libet, appelletur fera illa, quę in ultima Scandinavia post Norvegiam & Sueciam reperitur: quam Olaus magnus in Tabula regionum illarū depinxit: vnde nos hanc effigiem qualemcunque mutuati sumus. appellat autē Germanico nomine Grimklaw ab vngium acie, quòd illis præcipuè sæviat: animal Lupi magnitudine, perpetuò iracundum. In ipsa quidem historia Regionum illarum, ne uno quidem verbo hujus feræ mentionem ab eo factam reperio: sed neq; ab alio quoquam.

LUPUS Marinus (inquit Bellonius) non cognitus, quod sciam, veteribus fuit, amphibium animal, piscibus magna ex parte famem exaturans: in Oceani Britannici litore aliquando conspectum, sic terrestrem Lupum referens, ut non immeritò Lupi nomen apud vulgum retinuerit. Cicurem diu vixisse aiunt, capiteq; enormi, oculos permultis vndecunq; pilis adumbratos gerens, nare ac



dentibus caninis, robustisq; barbis ore obsesso: pelle villis erectioribus hispida nigris maculis undiq; (ut & totum corpus) distincta: cauda oblonga, crassa, villosa ac spissa, cætera Lupum referens, quemadmodum in pictura proposita apparet. Sic ille. Aristoteles historiæ animalium lib. 9. cap. 36. Lupi (λύκου, id est, Quadrupedis Lupi, non Labracis piscis) piscatoris meminit: qui cum piscatorib. societatē ineat, ac nisi prædæ particeps fiat, retia discerpat. Sed id animal Lutra fortè potiùs, quàm Lupus aliquis fuerit.

GERMANICE Ein Meerwolff / gleych einem rechten Wolff / soll auff dem Land wonen / aber fisch auß dem Meer fressen / am Britannischen Meer gegen Franckreych etwan gefunden vnnd zam gezogen.

LATINE Aper simpliciter, vel Aper agrestis: Sus ferus vel sylvaticus.

GRÆCE vulgò Ἀγριμοχοῖρος.

ITALICE Porco sylvatico, vel Cingiale, quasi Simgularis.

GALLICE Sanglier vel Porc Sanglier.

APRUM Græci σύαγρον vocant, & κάπρον: sed hoc posterius nomen etiam māsueto Sui mari tribuūt. Sciēdū est (inquit Cęlius Rhodiginus) Chlunē (χλούνην) dici ab Gręcis entomiā, id est, exsectum Eunuchūq; Aprum.

Id quod



Id quod Æſchyli doctrina cõprobat,atq; Æliani. Fiunt verò Eunuchi attritis arbori (*vt Ariſtoteles prodit*) aut ſaxo teſticulis uſque ad affectionem pruritu. Alij chlunen Suem interpretantur χλοὔνην,id eſt, in herbis fœnóve dormientem. alij magnitudine viſenda chlunem accipiunt. Ariſtophanes grammaticus: Sunt ex Suibus(inquit)qui dicuntur monij, quibus ſimilis forſan fuerit, quem vocant chlunem, ſævitia & viribus. Monium ſunt qui monolycum interpretentur: alij Suem ferum,qui cum alijs minimè aggregetur. Cyrillus in Oſeam prophetam, Aſinum eo nomine intelligit. Thomas Magiſter chlunen ac monion & chauliodonta,eſſe putat poëticas voces. Hiſpani in quadam parte novi Orbis Apros invenerunt noſtris minores,caudis breviſſimis, adeò ut abſciſſas fuiſſe arbitrarentur: pedibus etiam noſtris diſſimiles. poſteriores enim pedes aiunt una vngula ſolida conſtare,anteriores biſulcos eſſe. Ariſtoteles ſanè author eſt Sues ſolipedes gigni in Illyria,Pæonia,& Macedonia: quales etiam noſtro tempore in Anglia repertos accepi, & Albertus in maritimis locis Flandrię reperiri teſtatur. Agatharchides ait Sues in Æthiopia cornutos eſſe. Aprũ habet Regulus Salvimontis ingenti magnitudine: qui cum hero & Canibus ad cornuum concentum exit in venationem: certatque cum curſoribus Leporariis ad prædarum adeptiones: Scaliger.

HIPPOPOTAMUS,id eſt, equus fluviatilis, turpiſſima quadrupes, Nilo ferè peculiaris eſt, ambiguæ vitæ: cui Ariſtoteles jubã & vocẽ equi attribuit. Capite Bovem aut Vitulum refert, inquit Bellonius: reliquo corpore ad Porci figuram magis accedit. Quamobrem Byzantini,apud quos mihi aliquando viuus Hippopotamus conſpectus eſt, vulgari lingua modò Porcum, modò Bovem marinum appellarunt: quæ res nonnullos,eoſque paulò eruditiores, cõmovit ut dicerent noſtris tẽporib. viſum nũquã fuiſſe Hippopotamũ. Cui ſententiæ, niſi ego rerũ potiùs quã vocabulorũ eſſem ſtudioſus,facilè ſubſcriberẽ. Verũ in diverſum me pertrahit antiquorũ numiſmatũ atq; Hippopotamorũ figura: quę certè plurimũ



accedit ad eã,quã ante viuũ animalis corpus Byzãtij delineare iuſſimus. Hęc ille. Imaginem quidem illam ad viuum ab eo expreſſam nondum vidi. Volui a hoc libro inter Quadrupedes viviparas Hippopotamum proponere,quòd nõ ſolùm pariat educetq; in ſicco,ſed noctu etiã relictis agris fruges & fœnũ depaſcatur, ac

proximas agrorum messes populetur:& ad ingrediendum magis quàm natandum à natura factus videatur. PHOCAM verò quanvis quadrupedem, oblæsam tamen & imperfectam: somniq; tantum causa, non etiam cibi in litora exeuntē, ad hunc librum non pertinere iudicaui. Sed de Hippotamo quoq; in libro qui aquatilium icones cum nomenclaturis exhibet, plura dicemus.

TVRCÆ & GRÆCI hodie, vtriq; vocabulis suæ linguæ, Porcum marinū vocant. etenim vetus Hippotami nomen, prorsus vbiq; hodie obliteratum est, & ne in Cairo quidem Ægypti cognitum amplius, Bellonius.

ITALI, præsertim qui Constantinopoli degunt, Bo marin, id est, Bouem marinum nominant, Bellonius.

GERMAN. Ein frömb Thier/ wonet im Nilo dem fluß in Egypten: mag von seiner gestalt ein Wasserochs/oder ein Wassersau genennet werden: dann es mit dem kopff einem Ochsen oder Kalb gleich ist/ mit dem übrigen leib einem Schwein: wirdt von den Türcken vnd Griechen dieser zeit ein Meerschwein genennt/ wiewol es nirgens im Meer gefunden wirt; von den Italiänern ein Meerochs. Ist den menschen auffsetzig/ vnd frisset sie.

Hippotami in præcedente pagina icon, sumpta est ex Colosso, qui Nilum Ægyptium Romæ in Vaticano refert.

QUADRUPEDUM VIVIPARORUM FERORUM ORDO TERTIVS,

De Feris non cornutis mediæ magnitudinis, minusq́ noxiis.

GRÆCE Castor, quod vocabulum Latini etiam receperunt, quanuis aliud proprium habeant, Fiber: quod fibras amnium, id est, ripas incolat.

ITALICE Bivaro, vel Bevero.

GALLICE Bievre, Bifre. GERMANICE Biber/Piber.

Castoris fœminæ supinæ icon, à Rondeletio exhibita. Nostra Castoris icon proxima pagina sequetur.

GERMANICE Biber das weiblein.



FIBRI in inguinibus (vt inquit Rondeletius) geminos tumores habent, vtrinque vnicum, membrana sua conclusum, oui anserini magnitudine. inter hos est mentula in maribus, in fœminis pudendum. Hi tumores, testes non sunt, sed folliculi membrana contecti, in quorum medio singuli sunt meatus, è quibus exudat liquor pinguis & cerosus: quem ipse Castor sæpe admoto

moto ore lambit & exugit, poſtea hoc veluti oleo quas poteſt corporis partes contingere, oblinit. Hos tumores, teſtes non eſſe, hinc maximè colligas, quòd ab his nulla ſit ad mentulam via, neque ductus quo humor in mentulæ meatum deriuetur & foras emittatur. Præterea quòd teſtes intus reperiantur. Leporibus etiam ſimiliter in vtroque inguine tumor eſt. Eoſdem tumores Moſcho animali eſſe puto, à quibus odoratum illud pus emanat. Fœminæ, quam hîc depinximus, vnicus eſt meatus & ad excernenda excrementa, & ad pariendum. Hæc ille.





Latine Lutra. Lutras etiam Lytras dici posse Varro docuit: quia radices arborum in ripa succidere atque dissolvere (quod Grecis est λύειν) dicuntur, potest tamen & à luendo videri nominata, quod in aquis se lutet, sicut & Græcè Enhydris, Hermolaus. Sed Varro Lutram cū Enydride cōfundit, teste Scaligero. Ab Aristotele ἐνυδρὶς vocatur vocabulo oxytono, à quo gignendi casus ἐνυδρίδος: Herodoto proparoxytonum est ἔνυδρις, ἐνύδριος. Ἔνυδρος, ὁ, Hesychio est animal fluuiatile simile Castori. Scribit autem non ineptè Herodotus libro 2. Enydrias in Nilo nasci, & sacras existimari. quo loco Enydrium nomine Ichneumones aliter dictas, peculiares Nilo quadrupedes, intelligere mihi videtur. nam Ichneumones quoque sacros Ægyptiis esse legimus: & Marcellinus eosdem Hydros vocat, Isidorus Enydros. Alibi verò cum scribit: In maximo apud Gelonos lacu capi Enydrias, & Castores, & alias feras τετραγωνοπροσώπους (*id est, forma oris quadrata, nimirum qualis Felium ferè est, aut Simiarum: ut fortè Satyria Aristotelis hæc sint, Castori Lutræq; cognata: nam Satyri etiam Simiarum generis existimantur:* (quorum *(omnium scilicet ex æquo)* pelles circa sisyras pro fimbriis assuuntur: testiculi verò uteri remediis apti sunt. In his verò Enydrium nomine non Ichneumones Nili, sed Lutras propriè dictas intelligo. Apud Gelonos quidem & Scythas omnes, Lutræ abundant: quòd in regionibus eorum flumina stagnaque permulta sint. & Lutræ testes non secus ferè quā Castoris (quanvis impropriè testes dicuntur, ut in Castore indicatum est) ad vterum remediis pollent. Ælianus & Aëtius Græci scriptores Lutram nuncupant Canem fluviatilem, Κύνα ποτάμιον: Servius Castorem quoque Canem Ponticū nominat. Bellonius Lutræ caput caninum, & dētes ferè Canis attribuit. Tanta est Lutræ sagacitas, ut ex aqua per rivulum effluente, per aliquot procul miliaria piscium odores excipiat è vivariis: quæ subiens vastet. Simul facilius haurit auram secūdo fluvio delatam: simul inanis superare cursum potest: quo satura sine labore atque negotio vnà cum ipso fluxu rursum delabatur, Scaliger. Lutræ (inquit Olaus Magnus) quadrato ore mordaces, vt Castores: quibus similes pelle, sed triplo longiores sunt, in Septentrionalibus aquis, præsertim Suetiæ superioris, &c. reperiuntur. pelles earum cum aliis mira multitudine ad Moscovitas & Tartaros pro tegumentis & vestibus exportantur, &c.


Italice Lodra, Lodria, Lontra. Gallice Loutre, Levre.
Germanice Otter.

ILLYRICE Taſſo. HISPANICE Taſúgo, Texón.
GALLICE Taſſon, Taixon, Griſart, Blaireau, Bedouo.
GERMANICE Tachs / oder Dax.
ANGLICE Brocke, Bagert, (aliàs Badger,) Bauſon, Deer, Gray.
ILLYRICE Gezwecz.



MELES,, vel Melis potiùs, fœm.gen. Varroni, Samonico, & Gratio, qui lucifugæ epitheton ei tribuit. Melo ab Iſidoro, & ineptiùs etiam Melotus, à recentioribus dicitur: ſicut & Taxus, Taſſus, Taxo, Daxus, à Germanico eius nomine Tachs. Melis quidē dicta videtur à mellis auiditate, cuius gratia alvearibus inſidiatur, & fauos petit. Græcum eius nomen vetus non invenio, neque à noſtri ſæculi Gręcis quomodo appelletur ſcio. Galenus (de alimentorum facult. lib. 3. cap. 1.) ſcribens apud Lucanos in Italia animal reperiri medium quodammodo inter Vrſum & Suem (μεταξύπως ἄρκτȣ τε καὶ ζυὸς,) de Mele forſitan intellexerit, abundant. enim hoc animali, ut audio, nō Lucani modò, verùm etiam Siculi, & reliquę regni Neapolitani partes: eoque veſcuntur, per autumnum præſertim, quòd tum maturis uvis & reliquis fructibus maximè pingueſcat. quamobrem uno nomine σύαρκτος vel σύαρκος Græcè vocari poterit: niſi quis apud Galenum pro συὸς legat μυός, vt Arctomûs animal, hoc eſt, Mus alpinus intelligatur: ſed animus magis inclinat ad Melem: & Murem alpinum non puto frequentem Lucanis eſſe. Habet autem cum Urſo communia quædam Melis, vt crura humilia, corpus craſſum, auriculis etiam & pedibus non diſſimilis: & quòd iiſdem ferè veſcitur, & in cavernis degit, ſomniculoſus adeò ut magnaꝗ hyemis parte dormiat: cū Sue verò, pinguitudinis abundantiam. Melium genera duo faciunt: vnum Canis inſtar digitatum, quod caninum vocant: alterum ungulas, ut Sues, biſulcas habet, quod idcirco ſuillum appellant. Quidam non unguibus tantum, ſed ore etiam, ſiue naſo & roſtro, ſuillum Sui, caninum Cani ſimilem faciunt: (ut in Erinaceorū quoque genere.) Caninum (quem ſolum ego hactenus vidi) cadaveribus veſci, & iis cibis quibus Canes: ſuinum verò radicibus, & iis quibus Sues, Normannus quidam mihi retulit: qui utrunq; genus aliquando ſe cepiſſe aiebat. Antiquis fuerat perſuaſum, promiſcuum eſſe utrunq; in Hyęna ſexum. eos caſtigat Ariſtot. Negat enim in maſculo eam rimam, quę ſub excrementorum exitu eſt, perviam introrſum eſſe. De Melibus hoc item dictum à nobis eſt, Scaliger. ego alium, in quo de Melibus hoc dixerit, locum iam non reperio.

ITALICE Hiſtrice, vel Porco ſpinoſo. HISPAN. Puérco eſpin. GALLICE Porc eſpic. ANGLICE Porkepyne. GERMANICE Meerſchwein/Dornſchwein/Stachelſchwein/Porcopick/Taran ILLYRICE Porcoſpino.



HYSTRIX ſubiiciatur Meli, quòd & naturam partim ſimilem habeat, partim magnitudine non multum abſit. Eas generat India, Æthiopia, Africa (præſertim circa Afros paſtorales, teſte Herodoto:) & Tartaria. Hyſtrix quē ipſe vidi, tres circiter pedes longus erat. Agyrta qui circūducebat, os eius leporino cōferebat, aures humanis: pedes anteriores Melis, poſteriores Urſi pedib. At Hieron.

Cardanus in opere de Subtilitate hac facie animal deſcribit, quod nō ſit Hyſtrix, (quoniam ſpinas immobiles habeat, nō emiſſarias ut Hyſtrix,) ſed bigener fortè animal, quodq́; ex Hyſtrice, alioq́; velut Urſo, natum videri poſſit: (*Sed hoc diligentius conſiderandum eſt.*) Hyſtricem (inquit idem) Africam mittere proditum eſt, ſed nunc & Gallia habet, & Italia. Similiter vt Herinaceus ſpinis contegitur: ſed multò major eſt, rictuq́; & pedibus differt. digitati enim Erinaceo ſunt, illi biſidi. quanquam & Erinaceorum ſpeciem biſulco eſſe pede tradunt: mihi ut videre nondum contigit: quod & Scaliger de ſe teſtatur. Hyſtrix ut in pleriſque vulgaribus Porcvs ſpinoſus hodie nuncupatur: ſic & à Græcis recentioribus (ut Suida) Acanthochœrus, idem ad verbum ſonante vocabulo vocatur: ſed & vulgarē Echinum terreſtrem eodem nomine vocitant, vt ſcribunt Etymologus & Varinus. quòd verò Hyſtricem quoque Echinum terreſtrem Suidas interpretatur, falſum eſt. Albertus cum Hericium alium marinum, alium porcinum eſſe dixiſſet, ſubdit: Et ſimiliter animal quod vocatur Succa (*neſcio qua lingua*) cuius itidem duæ ſpecies ſunt, quarum altera pedes Porci habet, altera Canis: eſt autem idem qui Porcus ſpinoſus. Scribitur Græcè ὕστριξ, ὕστριχος: vel ὕστριγξ, ὕστριγγος. Sic autem dictus videtur à ſetis ſive aculeis potiùs, quib. multò magis horret, quàm ſetis ſuis rigere Sues ſoleant. Plinius Hyſtrices fœminino genere protulit, Oppianus maſculino. Animal fœtidū eſſe audio, & in ſylvis cavernas fodere Melis inſtar. Quatuor hybernis menſibus (inquit Ariſtoteles) ſe condit ut Urſa: & triginta diebus vterum fert, ut Urſa: & reliqua facit perinde ut Urſa. Hinc eſt fortè quòd Ἄρκηλα à Cretenſibus nominatur.

ITALICE Volpe.	HISPANICE Rapóſa, à rapiendo nimirum.
GALLICE Regnard.	GERMANICE Fuchß.
ANGLICE Foxe.	ILLYRICE Liſka.

VLPES, apud Grammaticos etiam Volpes ſcribitur: ſic dicta, ut Ælius dicebat, quòd volat pedibus. Vulpecula diminutiuum eſt. Apud Græcos veteres Ἀλώπηξ dicitur, hodie Ἀλωπού. Κίναδος, τό: ſunt qui beſtiam omnem appellari velint, peculiariter verò Vulpem: & Siculos privatim Vulpem κινάδιον appellare. Uſurpant hoc nomen Demoſthenes, Sophocles, ſed & Ariſtoteles. ſunt qui non ipſam Vulpem, ſed Martem à Martiale dictam, eſſe putent. Sunt in Septentrionalibus ſyluis (inquit Olaus Magnus) Vulpes nigræ, candidæ, rubeæ, crucigeræ in dorſo, aliæq́; cœruleo colore aſperſæ: omnes quidem ex æquo malignæ atq; aſtutæ. Nigræ pelles precioſiores cæteris æſtimantur: quia Moſcouitarum principes frequentius his utuntur. deinde crucigeræ, hoc eſt, quæ nigra cruce dorſo tenus à natura ſignantur, propter maiorem ornatum & pellium magnitudinem: quam non niſi in maturiore ætate Vulpes conſequitur. Hæ etiam pelles, uti nigræ, propter commercia Moſcouitarum, Ruſſorum & Tartarorum, magno in precio ſunt. Candidæ minoris æſtimantur, & quæ coloris cœrulei ſunt, propter earum copiam, & quòd pilos faciliùs amittant. Nigrę aliquando adulterantur, atro colore fumo picearum tædarum inducto. Rubeæ Vulpes omnium frequentiſſimæ ubique reperiuntur. Germani Vulpes quaſdam villo denſiore & nigricante, à colore Brandfüchß nominant: noſtri Kolerle. ſunt autem minoris precij, & magnitudine etiam ut plurimum minores. Vulpium (vt ſcripſit Georgius Fabricius ad me) magnæ ſunt in coloribus differentiæ. Vnum genus notiſſimum, quod in regionibus frigidis nobilius coloratur. nam in iis quæ ad meridiē & occaſum pertinent plagis, colore eſt cineſeo, & quaſi lupino, pilos fluxos habet, ut in

Italia

Italia & Hispania. Hoc genus apud nos duobus nominibus, propter gutturis varietatem, distinguitur: nam Köler appellantur, quibus guttur quasi carbonum puluere conspersum, in albo nigricat. Rursus Bergfüchse, qui candido sunt gutture: quod quò magis candet, eo est preciosius. Alterum genus est primo simile, sed nota insigni differens. nam ab ore per caput, tergum, caudam, recta nigri co-



loris linea ducitur: tum per reliquum corpus & pedes anteriores, transuersa: ita ut utraque crucis exprimat similitudinem, unde & nomẽ illis est Krützfüchse/ quasi crucigeræ. Gutture hoc genus nigriore est, & ex aliis ad nos importatur regionibus. Tertium genus est quod colorẽ isatidis vel cœli sereni refert, Blauwfüchse/ id est, cœrulei coloris, sed diluti. Vulpes pili rutili capiũtur apud nos, Brandfüchse: candidi in Suetia & Norvegia, licet rariús. Vulpiũ pelles nigerrimæ, nuper à mercatoribus in Galliam allatæ sunt, ad usum vestium non vulgarem, sed aliare admirabiles. Quippe rarissimis, & quasi ordine dispositis pilis candidis, singularib. variæ. Vulpes accepimus amaris amygdalis esitatis interire. nos Vulpeculam aloë

cum carnibus devorata, vidimus extinctam, Scaliger. Vulpes in Arabia (inquit idem) & Syriæ Palæstina, pilo fœdo, audacia insigni, vespere mutuis ululatibus quasi signo dato ad nocturnam condictam prædam convenire. Gregatim prædari. Omnia surripere, etiam calciamenta, atq; in sua lustra comportare. Ergo incolæ, incolarumque monitu viatores, auditis earum gannitibus, colligere vasa ex agris ac locis apertis. Nihil enim tutum esse. Hæc cum ex quodam Regulo accepissem: vnus, qui in eodem fuerat comitatu, negabat esse Vulpes: sed Lupos esse haud magno corpore: neq; fœdo pilo, sed colore luteo nitido. Hæc ille. Nos hæc animalia nec Vulpes, neq; Lupos, sed Hyænas esse suprà ostendimus.

VULPES crucigera. Lege inter ea quæ proximè retrò de Vulpe scripsimus:

GERMAN. Kreützfuchß. man bringt sie gwonlich auß Schweden / sind die köstlichisten nach den gar schwartzen frömbden Füchsen.



Simivulpa caudam Cercopitheci habet, quod hæc icon non ostendit: ut inde cætera etiam non probè expressa aliquis suspicetur.



SIMIVULPA dici potest hoc animal peregrinum ficto nomine: Græcè Πιθηκαλώπηξ, aut Ἀλωπεκοπίθηκος: propter ambiguam inter hæc animalia corporis speciem.

GERMAN. Diß frömbd Thier mag ein Fuchßaff genennt werden: dann es mit dem kopff gestalt ist wie ein Fuchß / hinden auß aber wie ein Aff / mit einem langen schwantz wie ein Meerkatz: wiewol das in der beygesetzten figur / die wir auß einer getruckte Mappen der welt / nachgemacht / niche angezeigt wirt.

Arbores in Pariana regione ingentes sunt, (inquit Petrus Martyr, Oceanæ Decadis 1. lib. 9) inter quas repertum est animal monstrosum, Vulpino rostro, Cercopitheci cauda, vespertilionis auribus, manibus humanis, pedibus Simiam æmulans: quod natos sibi catulos circunfert, quocunque proficiscatur, utero exteriore in modum magnæ crumenæ (dependente.) Id, licet mortuum, ipse vidi, convolui, crumenamq; illam novum uterum, nouum naturæ remedium, quò à venatoribus aut aliâs à cæteris violentis ac rapacibus animalibus natos liberet, illos secum asportando admiratus sum. Nunquam autem illos emittere dicitur, nisi aut recreandi aut lactãdi gratia, donec sibi

nec ſibi victum per ſe quæritare didicerint. Cum catulis animal ipſum deprehenderant: ſed in navibus catuli intra paucos dies perierunt: mater per aliquot mẽſes ſuperfuit, ſed & ipſa tandem tantam aëris & ciborum mutationem ferre nequiuit. Hæc ille. Cardanus in opere De ſubtilitate hoc animal Æthiopiam mittere ſcribit. Mittit & India Occidentalis (inquit) Chiurcam è muſtelino genere, quæ eodem modo filios ſecum fert. Et rurſus in opere De rerum varietate: Chiurcam (inquit) ſeu Chuciam nova Hiſpania mittit. ea minor Vulpe eſt, collo oblongo, pedibus brevibus, capite vulpino, colore cinereo, velociſſimè currebat, cũ ſeptem filios in crumena deferret. Videtur autem hoc animal medium eſſe inter Leporem ac Vulpem: ſed alterius generis ab vtroq; , ob crumenam. Chiurca (inquit Scaliger) Viverræ facie ac magnitudine eſt, capite Vulpino. ſub terra habitat. fœcundiſſima eſt. duodenos parit exiguos. Cauda ei tenuis, penè glabra. Ipſa pilo atro. Catulos in burſa ſub alvo obtenſa ſecum fert. In America vulgò vocatur Seruoy (inquit Io. Stadenius Hombergenſis, qui Americam à ſe viſam deſcribit: ipſe u duplici Germanicis literis Serwoy ſcribit) magnitudine Felis animal, & cauda ejuſdẽ: pilis aliis ex albo fuſcis, aliis ex nigro. Catulos parit quinos aut ſenos. Locum in ventre ad ſex digitos ferè ſciſſum gerit: & intra ſciſſuram illam mamillas habet: eidemq; incluſos catulos circunfert. Sed forſan idem animal fuerit Alopecopithecus & Chiurca, etſi pro diverſis à Cardano & Scaligero memorentur: cum utrũq; capite ſit Vulpino, & in alui ceu burſa ſuos catulos geſtet. hæc enim utrique conveniunt: cætera quæ in alterutro deſcribendo addunt, ſaltem nõ aduerſantur. Itaque animal unum eſſe ſuſpicabor, donec aliquis certiora docuerit. Hoc fortè intereſt, quòd Alopecopithecus lactandi gratia catulos è burſa ſua emittit: & icon (ſi quid ei credendum) burſam illam anteriore ventris loco, mamillas poſteriùs oſtendit. Chiurca verò mamillas intra burſam (quanvis non burſam ſed ſciſſuram in ventre eſſe ſcribit Stadenius) habet. Conijcio & Cynocephalis coguatum eſſe: quoniam Agatharchides author eſt Cynocephalũ fœminam uterum per omnem vitam extra corpus geſtare.

LATINE	Simia.	ITALICE	Simia, Bertuccia.
HISPANICE	Ximio.	GALLICE	Singe.
GERMANICE	Aff.	FLANDRIS	Sime/Schemikel.
ANGLIS	Ape.	ILLYRICE	Opicze.

SIMIA dicitur, ut Grammatici annotant, quòd ſima ſit & naribus depreſſis: vel quaſi mima & imitatrix. Simius maſculino genere apud poëtas aliquot legitur, Simiolus apud Ciceronem. Græcis πίθηκος, & rariùs πίθηξ: recentioribus μιμὼν & ἀρκοϊζιανὸς vel δερκοβιζανός. Africa diverſis in partibus & India Simiarum genera varia ferunt. Indi ad regem ſuum afferunt Simias albas & nigras. nam rufas ideo in urbem non adducunt, quòd Veneris libidine inflammentur in muliebrẽ ſexum, Ælianus. Differunt inter ſe Simiæ cauda & barba, quòd aliæ habeant, aliæ careant. Deinde magnitudine, colore. Item faciei figura, qua vel hominem, vel Canem, vel Porcum repræſentant. Primæ ſimpliciter Simiæ dicuntur, alteræ Cynocephali, tertiæ Chœropitheci, id eſt, Simiæ porcariæ, ut Gaza apud Ariſtotelem vertit: Qui uno tantùm in loco hoc animal nominat, Chamæleontem ſcribens roſtrum ei ſimillimum habere. Differunt autem inter ſe Simiæ, non ſolùm ut nominibus diſtinctæ ſunt, ut ſimpliciter dictæ Simiæ, Cercopitheci, Cepi, Callitriches, Cynocephali, Satyri, Sphinges: ſed etiã quæ vnius ſunt generis & nomẽ cõmune habent, non oẽs ſunt ſimiles. nã ex ſimpliciter dictis Simiis, aliæ ſua facie hominẽ, aliæ Canem magis referunt. Sunt & Cynocephalorum di-



uerſa genera, nec unum genus caudatarum. Simiarum (inquit Io. Leo Africanus) variæ ſunt ſpecies, quarum quę caudam gerunt, Monę (*Hiſpanico vel Africano vocabulo*) dicuntur: aliæ verò Babuini. Reperiuntur in Mauritaniæ ſyluis Bugiæ & Conſtantinæ montibus. Humanam faciem non pedibus modò & manibus, ſed vultu etiam referunt, admirando ingenio aſtutiaq; à natura dotatę. Herbis & grano nutriuntur, & ſpicas paſturæ magno comitatu incedunt. Earū vna ad limites campi excubans, ſi percepto agricola clamorem ediderit, reliquæ in fugam maximis ſaltubus in proximas arbores inſilientes aguntur. Fœminę catulos humeris geſtant, cum quibus pariter ex arbore in aliam deſiliunt. Quæ ex iis edoctæ ſunt, res patrant incredibiles: verùm iracūdæ ſunt & crudeles, tametſi facilè placētur. Sine cauda (inquit Scaliger) Simias plures vidimus, quantus puer eſt annorum octo. Marem quoque ac fœminam cum prole. Filiolus ſi quid videretur deſiderare: manu, pugnoq; fœminam à marito, tanquam malæ tractationis ream, etiam addita vultus acerbitate, caſtigari, nempe ſupercilio, rictu, murmure, irati patris, atque reprehenſoris mariti animum præ ſe ferre. Multa leguntur in libris itinerariis: ſic enim inſcribuntur. In India mediterranea ingentes corpore, audacia ciuiles, ultro citroque non ſolùm per agros, ſed etiam per oppida in mercatibus, ſine maleficio aut offenſione civium commeare. Tot earum ſunt ſpecies, forma, colore, cauda, jubis, magnitudine differentes: ut non parum negocij faceſſat hiſtoriæ ordinem meditanti. In Troglodytica jubatæ ſunt Leonum modo, maximi Vervecis proceritate. Simiam Mauri Bugiam vocant, nos Monam, (*Mona vocabulum Hiſpanicum aut Africanum videtur pro Cercopitheco.*) Et rurſus: Simiarū genera quędam viriditate conſpicua ſunt: aliarum color luteus. Hæc omnia Scaliger.

GALLICE Magot, Tartarin.

GERMANICE Ein beſundere art großlachter Affen: welcher männlichs glied anzuſehen/als ob es von natur beſchnitten were.

CYNOCEPHALUS, ut videtur, Græcè & Latinè dictus. Gaza Canicipitem trāsfert. Genera eorum plura ſunt, Arriano teſte. Figura quam damus Simiæ cujuſdam eſt ad viuum expreſſæ, quam Theodor. Beza ad nos miſit, qui viuam ſibi talem Lutetiæ viſam ait. Tartarinum vulgò dictam. Ego (inquit) ex Cynocephalorū genere eſſe arbitror, quod vel ex pudendo natura circunciſo (nam Cynocephalum circunciſum gigni author eſt Orus) animadverti poteſt. Magnitudo eſt ut Canis leporarij. Bipes plerunque obambulat, & vocem penè articulatam habet. Videtur & hoc convenire, quod legimus Cynocephalos Simiis majores eſſe, minùs erectos: roſtro longiore, ferè canino. Caudas quidem alia etiam Simiarum genera habent. Simiæ quoddam genus (inquit Bellonius) Galli Tartaretum vel Tartarinū, & in aliis locis Ma-



cis Magot nominant. videtur autem eadem esse quæ ab aliis populis Maimon appellatur, & Aristoteli Simia porcaria. Sunt tamen qui Tartaretum Simiam ab illa quæ Magot vel Maimō dicitur, diversam esse defendant. Cynocephalū unum barbatum vidimus (inquit Scaliger) fœdum aspectu, nigrum, maleficum, moribus infamē. Magot genus illud maximum Galli vocāt. In aula Regis unus fuit, qui diu bipes deambulabat, amictus sagulo militari, ensiculo accinctus. In sella jussus, continuit sese pernox, aut perdius publico spectaculo: ita ut non deessent, qui homuncionem putarent verum. Quærendum an Cephus, de quo mox in Cercopitheco dicemus, cum Cynocephalis potius quàm Cercopithecis censeri debeat. Cynocephalus fœmina vterū perpetuò extra corpus gerit, vt scripsimus suprà in Simiuulpa: nescio an mas quoque suum genitale, ita semper, ut hîc pingitur, exerat. Cynocephali vocis expertes stridēt acutum. Descendit autem eis barba sub mento (ὑπὸ τὴν ὑπήνην γένειον) ut Draconibus hac in parte conferri possint. Eduntautem tum alias animantes, tum homines, prout contigerit, Græcus quidam innominatus. Agatharchides eos ex Troglodytica vel Æthiopia mitti scribit: corpore hominem deformē, facię Canem referre. vocē edere mygmi instar, (μυγμῷ παραπλησίαν. *Grammatici* μυγμὸν *interpretantur suspiriū aut Muris sonum. Eustathius à verbo* μύζειν *derivat, id autem mî. literam sonare interpretatur, vel clausis labiis per nares sonum quempiam edere*:) ferum omnino animal & quod mansuefieri nequeat: vultum à superciliis & oculis præsertim austerum ostendens.

GRÆCE & LATINE. Cercopithecus, id est, Simia caudata.
ITALICE Gatto Maimone. GALLICE Marmot.
GERMANICE **Meerkatz.** ANGLICE Marmoset: & species alia **Munkai.**
HISPANI vel Afri puto, Monas appellant Simias caudatas.



SIMIÆ quidem caudatæ inveniuntur etiā aliæ: sed huic quod exhibemus generi privatim hoc nomen contigit, siue per excellentiam, siue quòd aliæ minùs communes sint.

Æthiopia generat Cercopithecos nigris capitibus, pilo asinino, & dissimiles ceteris voce, Plinius. Indiæ sylva supra Emodos montes abundat ingentibus Cercopithecis. Onesicritus scribit in India Cercopithecos esse, qui per præcipitia vadentes, petras contra insequentes

quentes devoluant, Strabo. Ex quibusdam Novi orbis regionibus Cercopithecos pulcherrimos advehi aiunt. Cêbus (κῆβος, Gaza Cæbum interpretatur per æ,) Aristoteli Simia caudata est. nam Cercopitheci nomen in eius libris non reperitur. at Strabo, Ælianus, Plinius, Cephum (sic enim scribunt) à Cercopitheco distinguunt. Pompeij Magni ludi ostenderunt ex Æthiopia quos vocant Cephos: quorum pedes posteriores pedibus humanis & cruribus, priores manibus fuêre similes. hoc animal postea Roma non vidit, teste Plinio. Cepus (κῆπος) faciē habet Satyro similem, cætera inter Canem atq; Vrsum. in Æthiopia nascitur, Strabo: qui & alibi tradit in Arabia reperiri Cepum, cui facies sit Leonis, corpus reliquum Pantheræ (πάνθηρι, Agatharchides.) magnitudo Dorcadis, id est, Capreę. Cepum autem dictum volunt, Græca origine, quòd horti instar varietate colorum insigne sit animal: sive varietas illa, non aliter quàm in Pantheris, cui confertur eius corpus, maculis intelligatur: sive aliter, ut Ælianus tradit. Cêpus (inquit) circa mare rubrum cum confirmata ætate est, pari magnitudine est cum Eretriensibus Canibus: coloribus varium, eius enim caput & dorsum & spina ad caudam usque prorsus valde igneo colore sunt: tum aurei quidā pili disseminati spectantur. Facies alba ad genas usque. inde ad collum aureæ vittæ pertinent. Collum & pectoris inferiores partes, & anteriores pedes omnino albi coloris sunt. Mammæ duæ manum implentes cœruleo colore visuntur. Venter cādidus, pedes posteriores nigri sunt. Rostri forma Cynocephalo rectè comparari potest. Hæc ille. Hebræi quidem Simiam Koph appellant: à qua voce Græcos Cepum, vel Cebum denominasse aliquis cōiiciat. Videtur autem Cêpus, Strabonis præsertim & Æliani, tum ab Aristotelis Cebo, id est Cercopitheco differre, tum ad Cynocephalos referri debere: sed nihil pronuncio. Nam & authores inter se non satis conveniunt: & natura sæpe ceu ludens inter duo genera mediū aliquid producit. Hoc saltem dixerim, Simias caudatas alias concolores esse: alias verò varias, & his Cepi nomen meliùs conuenire: prę sertim si παρὰ τὴν κῆπου ποικιλίαν deriues. Cercopithecorum (inquit Scaliger) tanta varietas est, ut memoriam cōfundat. Catos Maimonos, appellamus subvirides, malignos. Hos vidimus sibiipsis caudarum exedere extremas partes. Hoc, aiebant, ab iis solis committi, qui gustassent aliquādo carnes. Albi dicuntur esse alicubi. Nos nigros cum maculis albis vidimus, sono vocis grauiore: croceos, fuluos, furuos, paruos, magnos, mediocres: agiles omnes, atq; maleficos. Imitatores maximi, ingeniosissimiq; omnium ij, qui bene olent. Angli Cercopithecum tum majorem tum minorem, Marmoset vocant. Et rursus Munkai iidem appellant, aliud Cercopithecorum genus barbatum, minus prio re. idque similiter in majus & minus diuidunt: ita ut ex magnitudinis differentia genera eorum quatuor sint: quorum minimum instar Sciuri ferè est. Habemus Cercopithecum seu Mamonetum (inquit Io. Caius Anglus in epistola ad me) colore dorsi & lateris viridi, frequenti inserto hinc inde pilo melino: ventre, mento, & barba (quam habet Turcicam) candidis: facie & tibiis nigris, naso albo. ex minore eius animalis genere est, magnitudine videlicet Cuniculi. Si placet, eius imaginem mittam. quanquam opus non est. Nam moribus, corporis figura & lineamentis, per omnia similis est cæteris Cercopithecis. Sic ille. hūc quidem meritò, propter colorum varietatem, Cepum appellaueris. Megasthenes author est (inquit Strabo) apud Prasios gigni Cercopithecos maximis Canibus majores, & totos albos, præter faciem quæ nigra est: apud alios verò econtra: caudæ longitudine supra duos cubitos: eosq; mitissimos, nec invadendo & furādo malignos. Ælianus etiam barbam eis tribuit, & comam ex fronte propendentem, caudamque leoninæ similem: mansuetudinem insignem, & sensus propè humanos. Et quanquam sylvestres sunt (inquit) ad suburbium tamen Latagis vrbis frequen-

tes quotidie

tes quotidie proficiſcuntur. quibus coctam oryzam rex comedendam obiicit. expletæ ad domeſticas ſedes magna moderatione revertuntur, nec obuium quē-quam lædunt. In ora Cariai (inquit Petrus Martyr in Nauigationum hiſtoriis) animal inſolitum repererunt. Id eſt grandi Cercopitheco par, cauda longiore, proceriore〈que〉: qua & feras ſtrangulat, & in arbore ſuſpenſus, vim ter〈que〉 quater〈que〉 ſeſe devolvens capiendo, ex ramo inſilit in ramum, & ex arbore ſeſe proiicit in arborē ac ſi volitaret, &c. Callitriches toto penè aſpectu differunt (à cæteris Simiis) barba eſt in facie, cauda latè fuſa priori parte. Hoc animal negatur viuere in alio quā Æthiopiæ quo gignitur cœlo, Plinius. Callitriches quidem Hermolao à barbitio dictæ videntur, quod Græci tricha vocant: atqui thrix Græcis pilum omnem ſignificat: & hæ Simiæ non tam barbæ, quàm caudæ extremæ pilis latius fuſis à reliquis differunt.



CERCOPITHECI ſeu Cepi Satyrive genus, (nam & Satyri inter Simias ſunt, & Cepi faciem eſſe taquam Satyri Strabo ſcribit,) cuius imaginem ex Germanico quodam libro deſcriptionis Terræ ſanctæ mutuati ſumus.

GERMAN. Ein wunderbare Affen oder Meerkatzen art/welche wir alſo abconterfeit gefunden haben in einem Teütſchen getruckten bůch von dem Heiligen land/ꝛc.

DE HAC aut ſimili beſtia ſenſiſſe videtur Cardanus, cum ſcribit: Eſt & formæ raræ Cercopithecus, magnitudine & forma hominis. cruribus ſiquidem, virili membro, facie, dicas hominem agreſtem, quia totus eſt pilo obſitus. Nullum animal perſeuerat plus ſtando illo, homine ſolo excepto. amat pueros & mulieres, non ſecus ac homines ſuæ regionis: conatur〈que〉 cum vincula effugerit, palàm cum his concumbere, quod nos vidimus.

MONSTRUM Satyricum captum anno Salutis M. D. XXXI. in ditione Epiſcopi Salceburgenſis, in ſaltu quem Hanesbergium vocant.



GERMAN. Ein wunder von einem thier/gefangen im jahr von der Geburt Chriſti M D XXXI. in dem Hanſperger wald/in dem gebiet deß Biſchoffs von Saltzburg.



ANIMALIS quod Sagoin vulgò appellãt (nomine forſan Breſiliæ incolis uſitato, unde nuper advectũ eſt) iconem perpulchrè & accuratè expreſſam, Petrus Coudẽbergius doctiſſimus celeberrimúſque Antverpiæ pharmacopœus mihi communicavit. Sagoini animalis (inquit in epiſtola) imaginem mitto ad viuum delineatam ſecundum omnes dimenſiones. (*Pictura quam miſit magnitudo, undique tripla ferè ad noſtram erat: an verò animal ipſum quàm pictura exprimitur majus non ſit, ignoro.*) Vividum admodum erat, agile ac timidum. Pilis erat mollibus admodum. Uvis paſſis veſcebatur Sole ſiccatis, & pane albo modico. Coronatis hîc quinquaginta divenditum eſt, advectum ex Breſilia. forſan ex Simia parva & Muſtela procreatum. miſcentur enim ibi varia animalia, propter regionis caliditatem. Nuſquã de eo quicquam legi. Sic ille: nos eius verbis & ſpecie ipſa animalis invitati, Galeopithecũ nominabimus.

GERMANICE Ein frembd Thier / kurtzlich auß dem newen land Braſilia gen Antorff gebracht / anzuſehen den Meerkatzen etwas gleich.



IN AMERICA (inquit Andreas Thevetus) reperitur animal corpore ſupra modum deformi. incolæ nominant Haüt vel Hauti, magnitudine Cercopitheci Africani (quem Galli vulgò Guenon appellant) ſatis magni. Vẽtre ad terram valde demiſſo, capite & facie ferè infantis, ut appoſita pictura ad viuum facta oſtendit. Captum quoq; ſuſpirare dolentis infantis inſtar ſolet. Pellis ei cinerea, & parui Urſi modo villoſa. Pedibus terni ſolum vngues hærent, quatuor digitos longi, ſimiles magnis Cyprinorum ſpinis: quibus per arbores repit. in his enim frequentius quàm humi degit. Cauda tres digitos longa, paucis & raris pilis. Hominis viui carnem nunquam guſtare viſum eſt: quanquam incolæ aliquando longo tempore (abſq; alio cibo) ipſum retinuerint, experiundi gratia. Galli quidam aliquando per ſyluam deambulantes, duo huius generis animalia in excelſæ arboris cacumine, ictu ſclopeti deiecerunt: ex quibus alterum valde læſum fuit: alterum attonitum duntaxat, & mihi donatum. quod cum ad dies ferè 26. ſervarem, cibo & potu omni abſtinuit, in eodem ſemper ſtatu: & tandem à Canibus noſtris occiſum eſt. Putant aliqui hoc animal viuere ex ſolis foliis arboris cuiuſdam, quam vernacula lingua Amahut vocant. ea præ cæteris excelſiſſima eſt, foliis perexiguis ac teneris. in hac quoniam vt plurimum degit hoc animal, ab ejus nomine Haut appellatum eſt. Si manſuefiat, hominem deamat: & in humeros eius aſcendere ſubinde cupit: quod ferre nequeunt incolæ nudi: cum ungues eius peracuti ſint, & longiores quàm Leonis aut ullius alterius feræ nobis cognitæ. Toto hoc tempore quo ipſum ſub dio retinui, quamvis multoties plueret, à pluuiis nunquam madefactum eſt. Hæc ille. Nos Arctopitheci nomen huic animali ponemus: nã Papio dictus vulgò, hoc eſt Dabha Syrorum (quem olim Arctopithecum poſſe dici ſuſpicabar) Hyęna nunc mihi videtur.

CATI sylvestres (Wild katzen) in Helvetia multi capiuntur, in sylvis præcipuè & arbustis, juxta aquas interdum: similes domesticis per omnia, (quamobrem effigie alia opus nõ est,) majores tantùm, densioreq; & majore pilo, fusci coloris, &c. sed fortè ut domestici coloribus variant, ita etiam feri non uno colore reperiuntur, in diversis regionibus præsertim. Feles Scythica vel Moscovitica, (fera an domestica nescio. Scaliger quidem, domesticorum Felium pellibus tradit fœminas in Moscovia vestes munire adversus hybernum gelu: quòd nullius æquè pili calore foveantur corpora) cuius pellem nuper Ant. Schnebergerus ad me misit, lõga est duos dodrantes cum dimidio, Felibus nostris similis, sed colore diverso, nẽpe nigricante, vel, si propiùs & ad lucem inspicias, è nigro ruffescente: undiquaq; ferè concolor. Cauda decem digitos longa, terete, nigra. Sed unam tantùm pellẽ vidi, nec scio an omnes ejusmodi sint. In Malabar provincia (inquit Scaliger) Feles sunt agrestes in arboribus agitantes. De eorũ celeritate in cursu nihil memorabile proditum est. Saltu valere potiùs. Peculiaris verò volatus. Idq;, quod mirũ magis est, sine alis. Membranam ab anterioribus pedibus ad posteriores usque productam tendi. quam, dum quiescunt, ad aluum contrahunt. Vbi volare instituunt, pedum crurumq; agitatione protenta, collectaq; membrana, tum sustinentur, tum feruntur: mirabilisq; est eorum, tanquam per aërem currentium species. Sic ille. addit autem verisimilius hoc nobis fieri ex Vespertilionis natura. De Mure Pontico volante dicemus suo loco.

AD Feles fortè referri potest etiam Heyrat in America dictum animal, cujus iconem (non satis explanatam tamen) Andreas Thevetus posuit, Genethæ cato non dissimilem, & similiter maculosam. Heyrat (inquit) vocatur animal, vocabulo bestiam mellis significante: eò quòd passim desiderio mellis certas arbores (quas Vhebehason incolæ vocant, è quarum fructu apes mellificant) perquirat. Colore est castaneæ ferè, magnitudine Felis. mel tanta solertia suis unguibus extrahit, ut Apes neq; lædat, nec ab eis lædatur.

MARTES, ut videtur, à Martiali (nullus enim alius veterum, quod sciam, hoc nomine usus est) dicta, (à recentioribus Marta, Martarus, Marturus, Marturellus, & Mardur fœm. genere,) nomen seruat apud plerasque gentes hodie, Italos, Gallos, Hispanos, Germanos & Anglos, terminationibus tantùm diversis.

ITALICE Foina vel Fovina, fortè à fago, quam Galli fau appellant.

GALLICE Foyne, Foing.

GERMANICE Marder/Tachmarder/Haußmarder/Steinmarder/Büchmarder. Sunt apud Borussos nemora plena animalculorũ, quæ indigenæ Gaynos, Germani Marter appellant, Erasmus Stella.

MARTEM sic dictam conijcio, quòd Martia, id est, pugnax & ferox bestia sit. jugulat enim Mures, Gallinas, & aves cæteras. Species ejus apud nos cògnitæ duę sunt: una nobilior, cujus pars prona magis flavescit: altera ignobilior, parte prona albicans. hujus nomina in diversis linguis paulò pòst seorsim referemus: illius jam diximus. Nobilior, magis sylvestris est, & circa sylvarum arbores, pręsertim abietes, reperiri solet. Retulit mihi aliquando rusticus quidam, se initio Aprilis in præalta abiete Martem cepisse cum quatuor catulis: & in abietibus eas Sciurorum instar nidificare. Ignobilior circa fagos & saxa degit, & ad domos accedit, ubi ferè sub tectis latitat: noctu grassatur. hæc domestica dici ad illius differentiam potest. In sylvis supra Brigãtium ad Brigantinum seu Acronium lacum, Martis genus inveniri audio, cujus pili noctu luceãt, Zündmarder. Inter eruditos

ferè hactenus conveniebat, Martem & similem ei bestiam Putorium, ad Mustelarum genus pertinere: id quod doctissimo Scaligero non probatur. Sic enim scribit contra Cardanum. Mustelam domesticam esse, quę ab omnibus hactenus sic vocata sit: sylvestrem verò, Ictidem Gręcè dictam, non magnitudine aut specie corporis, sed loco tantum differre. nam & sylvestres Mustelas (inquit) familiaribus similes, sicut & Mures, videmus. A Mustelis verò differre Viverram, quam Furonẽ vulgò nominant: cujus nomen Græcum non ponit: & qui Ictidem interpretantur Viverram, reprehendit. Sicut & illos qui Putorium, Iltis Germanicè dictum, Ictidem arbitrantur ob similitudinem vocabuli: hunc enim sicut & Mardurem aquaticam (sic Galli vocãt) esse ex genere illorum quinque quæ ab Aristotele nominantur, Enydris, Castor, Latax, Satheriõ & Sathyrion. Deniq; Mardurem quoq; sui generis esse: aliam (ut diximus) aquaticam: aliã terrestrem. Terrestrium excellentissima Sebellina, (inquit,) dilutior & splendidior, pilisq; raris, ut ita dicam, argentata. Nostratis color fulvior. Tertiã vocant Calabram, colore longe minus saturo. Domitius Martem vult esse Vulpis genus, quod sit κίναδος Aristotelis. Audivi à Germanis nostratibus, qui in Russia sive Rutenia fuerant, Mardures Sebellinas tribus dotibus commendari: pilorum nigritia, densitate, prolixitate. Conveniunt hæc postrema duo cum Gallorum æstimatione. de nigritia nõ item. Hilariorem pilum eligunt, respersum ea quam dicebamus, candicantium raritate. Hæc Scaliger. Marduri ac Zebelli (inquit Olaus Magnus) frigidarum regionum animalia sunt, agiles cursu, & saltu eximij. Ferè enim ut Sciuri, cauda quasi pro temone utentes, de arbore in arborẽ, ramos unguibus apprehendẽdo saltant. morsu terribiles pro sua magnitudine. Dentes enim natura eis quasi novaculas dedit: & vngues subtiles acutosque. Caro inutilis: pellis magno in precio est, apud remotas præcipuè nationes. Earum discrimen in hoc est, quòd mardurinæ crassioris pili sunt: à vertice ad caudam, non autem econtrà, contrectatæ, pulchrũ ordinem habentes: non itẽ Zebellinę. nã à caudã ad verticẽ contrectatę, æqualem servant decorem, quia villosiores sunt, & dẽsioris pili, quæ ob id citius vermibus consumuntur, quàm reliquæ pelles, nisi sint in continuo motu, aut absinthij ramis interpositis conserventur. Quòd si sub dio Soli siccandæ exponãtur, plus uno die consumuntur, quàm si toto anno tritæ vel gestatæ forent. Viuens



uens enim bestia semper latitat in umbroso saltu, ubi aviculis insidiatur. Libidinosum est animal, & valde fœtidum libidinis tempore. Vtriusq; tamen (Marduri & Zebelli) pelles, pili tactu sunt molliores: & ingenti luxui deditorum hominū precio emptæ, à vermibus tandem consumuntur. Nascitur Zebellus (Zobel dicūt Germani) in extremis Moschouitarum syluis, & magno terrarum mariumque spacio deportatur ad exteros. Hæc Olaus. Martium genera inter se miscentur, & Martes fagi ferè sequitur Martem abietum, tanquam nobiliorem, ut ex ea fœtū nobiliorem acquirat, Albertus. Martes hæc à nonnullis Fuina vel Foinus dicitur, Gallico Italicóve nomine, ad Latinam terminationem deflexo.

MARTIS altera species, nobilior, solo colore à præcedenti differens: quare iconem eius propriam dare non opus fuit. Mardur Calabra, vt videtur, Scaligeri. Vide plura retrò cum Marte simpliciter scripta.

ITALICE Marta, vel Martore, Martorello. GALLICE Mardre.

GERMAN. Marder/Fäldmarder/Wildmarder/Baummarder/Tannmarder/Fiechtmarder.

PVTORIUS, vocabulo à Gallis & Italis sumpto: qui à tetro odore, quo putet fœtetq;, hoc animal denominarunt. Scaliger (ni fallor) Catum fœtentem vocat: & alio nomine Fuinam, Exercitationis De subtilitate 210. parte 2. Quidam è recētioribus (inquit) Ictidem Fuinam esse voluit: quoniam Germanicè dicatur Iltis. (Ego Fuinam, Martem ignobiliorem, non Iltissum Germanorum à Gallis & Italis dici existimo.) Et mox: Inter quinque amphibia ab Aristotele memo-



rata, (quæ sunt, Castor, Latax, Enydris, Satherion & Satyrion, est etiam Catus fœtens, pilo obscuriore, tetro odore. Hujus figura capitis, ab illorum *(amphibiorum scilicet quæ diximus)* capitibus abscedit ad domestici Felis formam. Scandit arbores in fuga, quarum præsidio saluti consulat. Putorius an ad Mustelas referri debeat, leges in iis quæ de Marte scripsimus suprà. Catiuare dictum animal in America, cuius Io. Stadenius Hessus meminit, an ad amphibia illa quinque quæ diximus, pertineat, quærendum.

ITALICE Foetta, quod vocabulum ne cum Foina ab Italis dicta, id est, Marte subtus albicante, confundatur, cauendum. LIGURIBUS TAURINIS Put.

GALLICE Putois, Pouttet. PICARDIS Catharet, teste Scaligero.

GERMANICE Iltis / Ylt / Büntsing.

LATINE Mustela, Græcis γαλῆ. Obuersatur hæc circa domos: & similis reperitur ei syluestris, ita ut loco victuque tantum differre videatur, Ictis à Græcis dicta; alia quàm Viuerra, ut dictum est suprà: ubi etiam Scaligeri sententia explicata est, qui Martem & Putorium, à Mustelarum genere prorsus separat-



Italice Donnola, Ballottula, Benula, Gallice Belette vel Belotte: Germanice Wiſele. HISPANICE Comadreja.

Mustela alba, ſpecie corporis nihil prorſus à ſuperiore differt, ſed colore tantùm, quo tota eſt alba. Hermelinum vocant recentiores. Aliqui viri docti Murem Ponticum veterum hunc eſſe putãt. Mihi animus magis inclinat, vt Sciurus Ponticus (is enim de Murium genere eſt) Mus Ponticus ſit. Conduntur (vt Plinius ſcribit, inquit Olaus Magnus, qui hoc animal Murem Ponticum eſſe putat) in hyeme Pontici mures, & ij duntaxat albi. Atqui ſi hyeme perpetua clauderentur, nunquam appareret albior pellis hujus beſtiolæ, quæ æſtate ſubrufa videtur in fine Maij: quando depoſita albedine proli propagandæ certis diebus operam dat inter novas herbas, prout obiter inter equitandum vidi apud Helſingos populos Septentrionales: ita ut in congreſſu propter nimiam conjunctionem *(multitudinem earum conferctam)* in curſu velociſſimo cohærerent, atque dentibus ſtriderent, tantum fœtorem in magna parte ſylvæ diuerſarum arborũ relinquentes, ut vix meminerim me deteriorem ſenſiſſe vnquam. Singulo quoque triennio ut plurimùm, copia alimenti, maximo mercatorum lucro, ampliatur & extenditur earum pellis. quod hoc modo non in Norvegia ſolùm, ſed & in Helſingia & vicinis regionibus, accidit. Beſtiolæ quadrupedes Lemmar vel Lemmus dictæ, magnitudine Soricis, pelle varia, per tempeſtates & repentinos imbres è cœlo decidunt: incompertum vnde, an ex remotioribus inſulis, & huc vento delatæ, an ex nubibus feculentis natæ deferantur. Id conſtat, ſtatim atque deciderint, reperiri in viſceribus earum herbas crudas nondum cõcoctas. Hæ more Locuſtarum, maximo examine cadentes, omnia virentia deſtruunt: nam quæ vel morſu attigerint, perdunt. Viuit hoc agmen, donec non guſtauerit herbam renatam. Conveniunt gregatim quaſi hirundines euolaturę. ſed ſtato tempore aut moriuntur aceruatim cum lue terræ (ex quarum corruptione aër fit peſtilens, & afficit incolas vertigine & ictero:) aut his beſtiis dictis vulgariter Lekat, vel Hermelini, *(vocabulo non tam Italico quàm Gothico)* conſumuntur. unde iidem Hermelini pingueſcunt, & reddunt pellium menſuram longiorem. Horum pelles (vt cæteræ etiam) venduntur decadum numero, quadraginta præſertim in quolibet faſciculo: & in regiones longinquas nauigiis exportantur. Hæc Olaus. deinde venationis eorum tribus aut quatuor modis expoſitis, per decipulam, foveas, canes, & ſagittas, ſubdit: Caro eorum contemnitur: pellis ſola in precio eſt propter candidiſſimum colorem, in ſummis principum utriuſque ſexus aulis. Solent autem his pellibus interponi raræ caudæ nigræ, maximè in ampliſſimis veſtium fimbriis, antiqua honeſtate ſeruatis. Varius, Mus eſt Ponticus & Sarmaticus: Hermellinus, Sueticus: quem Ariſtoteles Murem album appellat, Scaliger. Recentiores aliqui Latini ſcriptores Armelinum vel Armillinum nominant.

Germanice Hermelein/ Ein weiß Wiſelein: in Norwegen Lekat. Hermelini nomen etiam Galli & Itali uſurpant.

Lat.

LAT. Viuerra. apud recentiores Furo, Furus, Furetus, Furunculus: quæ nomina à vetere Viverræ vocabulo per aphæresin facta videntur. ad id quidem propiùs accedunt Angli Ferret, vocãtes. Ictis Græcè dicta, Mustela sylvestris est. Theodorus Latinè Viuerram transtulit: nullo, ut opinor, (inquit Scaliger) alio argumento, quàm quòd Plinius aiebat genitale esse osseum Mustelis & Viuerræ. id. n. de Ictide Philosophus in secundo. Cæterùm de Ictide loquens ipse Plinius, Græca voce nominavit: neque Viuerrę naturam descripsit cum propēsione ad depopulanda mella, sed ad Cuniculos tãtùm debellandos. & Mustelas numero plurali cũ posuisset, addidit: Viuerræ, in singulari, Tum autē Viuerra non solùm mel non appetit, sed oblatum & respuit & fastidit. Vna etiam eo gustato contabuit: atque in eo fuit, ut penè moreretur. Hæc ille, ut Viuerram neque Ictidem, id est, Mustelam rusticam esse, neque omnino Mustelarum generis, sed sui, ostenderet. Ictidem animal mellis auidum esse, & aluearib. officere, Aristoteles prodidit. Gręcum quidem Viuerrę nomen nullum indicat Scaliger. At Strabo libro 3. de Cuniculis Hispaniæ loquens, & venatricibus earum Viuerris, Ictides nominat, ex Africa importatas scribens: quo argumēto & Mustelarum generis eas esse, & Ictides rectè nominari fortè aliquis asserat, sed ita ut Ictidũ species non sit una. Mauritania Mustelas alit Felibus pares ac similes, nisi quòd rictus eis eminentior & oblongior est, Strabo. sunt autem hæ nimirum Viuerræ. φερεοίκος ab Arcadibus appellari animal album, simile Mustelæ: quod sub quercubus & oleis nascatur (aut versetur,) & glandibus vescatur, apud Etymologum & Hesychium legimus. & conuenit quidē Furonis quod ad literas φερεοίκου nominis pars prior: significatio (Latinè enim domiportam sonat) non convenit: sed Cochleæ & Testudini. Viuerra sub terra tanta est ferocia, ut sexcuplo ac decuplo se majorem Cuniculum superet atque interficiat. extra latebras illam deponit ferociam, Scaliger.



ITALICE Viuerram vocat Italia, Galliaque Furetum, Scaliger.

HISPANICE Hurón, Furam. Hispanum vulgus nunc φωλεύτας vocat: quoniã iniiciunt eas in multifores Cuniculorum specus, Hermolaus Barb. & φωλεὸς quidem specum significat: sed Hispanicum nomen nō videtur accedere, nisi Furam nomen à foramine factum putemus.

GALLICE Furon vel Furet.

GERMANICE Frett/Frettel/Furette. ANGLICE Feret, Ferrette.

Ichneumonis picturam hanc desumpsimus ex vera eius effigie cum Crocodilo nobis conspecta, Bellonius. Ex eodem postea cognovi dorsum in hac pictura nimis elevari, & planius esse debere: rostrum paulò magis acuminatum, crura minùs crassa. Colerem, talem ferè esse, qualis hîc nigro alboq; distinctus conspicitur.



Ichneumonis alia imago, ex veteri manuscripto Oppiani poëmatum codice.



LATINE & Græcè Ichneumon, ἰχνεύμων. Nicandro etiam ἰχνευτής, id est, investigator. Inuestigat enim & obseruat cum aves & animalcula quæ deuoret: tũ Crocodilum, & Aspidem, eorumq; oua, &c. Ægyptij hodie Murem Pharaonis appellant, Bellonius. Est autem Hydri, siue Enydri, id est, Lutræ species in Ægypto. quãquàm Marcellinus & Solinus non Ichneumonem Hydri, sed Hydrum Ichneumonis speciem faciunt: quasi Hydrus latiùs pateat, quod non placet. Hydrus enim plerisq; in regionib. reperitur: Ichneumon verò Lutra quædam est Ægypto peculiaris juxta Nilum, amphibium & ipse animal. Latino nomine caret: nam quòd Suilis & Suillus ab Isidoro & Alberto vocatur, quoniam setas pro pilis habeat, bonis authoribus receptum non est. Ab Auicenna Alcasim dicitur: vel, ut Bellunensis legit, Harimun. Ichneumoni magnitudo Felis est, species Muris: vulgò nunc Murem Indicum vocant, aliqui Damulam, *(vel potiùs Donolam, id est, Mustelam.)* Ichneumon (inquit Bellonius) est corpore Melis, eodemq; pilo: recurtis pedibus, nigris: capite oblongo, nare prominula, Mustelam iratam esse diceres. In Crocodilis dormientis fauces magno impetu irrumpit, ut ab eo deuoratam escam depascatur: qua exaturatus, Crocodili ventrem erodere atque ipsum enecare traditur. Magnus est etiam Ægypti serpentium depopulator. Aves in primis appetit, & præ cæteris gallinas ac pullos. Iratus pilos erigit: qui duplici in eo colore visuntur, nempe albicãtes vel subflaui per intervalla, & leucophæi, duri asperiq; ceu lupini. Corpus ei quàm Feli longius & compactius est. rostrum nigrũ & acuminatum instar Furonis dicti in genere Mustelarum, absq; barba. Digiti in

pedibus

pedibus posterioribus quini: quorum postremus ab interiore parte perbreuis est. Cauda longa, & crassa ab ea parte qua lumbos attingit. Lingua, dentes & testiculi Felis. Hermaphroditus non est, ut quidam putarunt: sed videtur, propter meatum undiq; pilis cinctum extra meatum excrementi, genitali muliebri non dissimilem. Agilis & animosus est, ita ut magno etiam Cani se opponere non dubitet, in primis verò Catum si invenerit, tribus dentium ictibus strangulat. Et quoniam rostrum ei nimis acutum est, ægrè crassiusculum aliquid mordere potest, & ne hominis quidem pugnum clausum. Ægyptij eum in priuatis domibus, ut nos Felem educant: nam similiter Mures captat. Hæc ille. Vide etiã superiùs in Lutra.

GERMAN. Ein Indianische Mauß/oder Egyptischer Otter: mag ein Wasserfuret/oder Egyptische Wasserkatz genennt werdẽ.

Mus Indicus alius, ut videtur. Misit ad me aliquando Ant. Musa Brasauolus Muris Indici (sic enim appellabat) effigiem: quam ego priusquam veram à Bello-



nio exhibitam vidissem, Ichneumonis esse cõijciebam: & rostro quidem (si barbam adimas) & auriculis ferè cõvenit: sed differt cauda, qua Felem magis refert: & aliis pluribus, quæ facile conferendo est obseruare. Eam, ut accepi, posui.

GERMAN. Ein andere Indianische Mauß.

Tatus quadrupes peregrina. Cum iter facerem per Turchiam (inquit Bellonius) apud agyrtas & vagos pharmacopolas inveni animal quòd vulgò nominãt Tatu, (Tato Scaliger:) quod è Guinea & Orbe novo adfertur: cujus mentio nulla apud veteres. Facilè autem in longinquas regiones transfertur: quoniam natu-



ra munitum est duro cortice, & testa squamata veluti loricatum, (*testis scutulatis loricatum ad ventrem vsque, Scaliger:*) & quia facile potest caro eius intrin-

ſecus eximi abſq; vlla noxa nativæ eius figuræ. Videtur autem eſſe Herinacei ſpecies Braſiliæ inſulæ. retrahit enim ſe intra corticem ſuum, vt intra ſpinas Herinaceus. Magnitudine non excedit Porcellum mediocrem: & porcino generi affine videtur: quod cruribus, pedibus & roſtro refert, (*roſtro paulò contractiore & latiore quàm Porcellus: cauda longiſſima ac veluti lacertacea, teſſellis item incruſtata, Scaliger.*) Iam enim in Galliam quoq; allatum eſt hoc animal viuum, vbi ſeminibus & fructibus veſci viſum eſt. Sic ille: qui etiam quadrupedis hujus figuram proponit, biſulcis pedibus ut in Sue, & cruribus quàm in noſtra figura altioribus, rictu etiam alio. Noſtram quidem Adrianus Marſilius à Dōgen, pharmacopola Vlmenſis egregius, ad me miſit, vnà cum cortice ipſo, cauda & cruribus huius animalis: vnde picturam quoq; rectiſſimè opera ejus expreſſam omnino apparet. pedes in ea non biſulci, ſed multifidi ſunt: quinis in poſterioribus digitis, quaternis ante. duo quidem extremi vtrobiq; breviſſimi ſunt, & introrſum ita reducti vt ferè lateant, vnguibus omnes ſatis validis muniti. Sceleti noſtri longitudo duos dodrantes (abſque cauda) æquat. Latitudo cum ſit conuexa, non rectè menſuratur: ad 7. tamen digitos accedit. Cruſta illa dorſi non ad caudam vſque pertingit: ſed vacuum quatuor ferè digitorum locum relinquit, &c. Huic cognatum videtur Aiotochtli dictum animal peregrinum, de quo Cardanus: In nova Hiſpania (inquit) juxta Alvaradum flumen, animal quadrupes eſt Aiotochtli, Fele non majus, roſtrum habens Anatis, pedes Ericij, collum longum. tegitur phalerati Equi inſtar corticibus invicem inſertis, non una, vt Teſtudines. Differt & ab ipſis, quòd collum & caput teſtis eiſdem contectum habet, vt ſolæ aures promineant. vnde ab Hiſpanis armatum aut cōtectum appellatur. Aiotochtli nomen Indorum lingua Cuniculum cucurbitalem ſonat. Sunt qui referant grūnire vt Suem: roſtroq; Suis eſſe, & vngula bifida, ſed quaſi equina.

GERMAN. dici poteſt Ein Schaligel/von wägen der ſchalen/mit welchen es wie einem harniſch über den rucken/ ſeyten vnnd vmb den gantzen ſchwantz gewapnet iſt. Ein frömbd Thier auß Breſilien.



LEPUS L. Ælio dictus videbatur, quaſi leuipes. ego (inquit Varro) arbitror à Græco vocabulo antiquo (ſic dictum,) quòd eum Æoles Bœotij Leporem (λέποριν) appellãt: ſicut & Siculi. ſed hi Roma orti, fortaſſe hinc illud nomen tulerunt. Grecè λαγὼς dicitur, vel λαγὸς, vel λαγωὸς. vulgò etiam hodie λαγός. Daſypus quoque Lepus eſt, à pedibus ſuprà infraq; hirſutis dictus: quanquam Ariſtoteles alicubi cōjungit λαγωὸν & δασύποδα: ut Plinius Leporẽ & Daſypodem: ubi Gaza Leporẽ & Cuniculum vertit. Strabo Cuniculos λαγιδεῖς γεωρύχους, id eſt, Lepuſculos terræ foſſores nominat. Plutarchus Daſypodum catulos, λαγιδεῖς (à recto λαγίδης) vocat: Euſtathius ipſos Cuniculos ſimpliciter:) Cicero & alij Lepuſculos. Græcè etiam λαγίδια & λάγια legimus. Leporum ſpecies & differentias varias, vt Chelidonias, Elymæos, Italicos, Gallicos, Candidos, explicauimus in Quadrupedum hiſtoria. Apud Moſcovitarum oppidum Moſaiſcum, Leporum multitudo multorum diverſorumq; colorum habetur, Scaliger. Leporem aliquando aluimus (inquit idem) qui adultus cum Cane Leporario, etiam interdum à recenti cruento venatione, liberè ac ſecurè luſitaret. Album Leporem domeſticum in arce Montiſpeſatr memini, poſterioribus pedibus terram bis,

ter, quater supplodentem, quo quasi sese acueret, belli cientem simulacra, vltro Canes provocare.

Italice Lepre, vel Lieuora. Hispanice Liébre.
Gallice Lieure. Germanice Haß/Haas.
Anglice Hare. Illyrice Zagicz.

Post Leporis mentionem non visum est prætereundum animal Novi orbis, de quo Cardanus: Gubiniquinax (inquit) quem alij Guadaquinaium vocant, Lepore majus paulò est, colore roseo, piloq; vt Taxus oblongo, pedibus Cuniculi: collo & reliqua corporis parte inferiori Vulpi non absimili: capite Muris: carne jucunda, gustui & valetudini commoda. est autem animal agreste.

ANIMALIVM QVADRVPEDVM FERORVM ORDO QUARTUS,

Non cornuta & minima complectens.



Leporum generis est, & quem Hispania Cuniculum appellat, teste Plinio. sed quoniam magnitudine differunt, hunc primum inter Quadrupedes minimas feci, Leporem verò ex mediocribus ultimũ. Lepus hic vel Lepusculus Hispanicus cognominari potest. Est Leporum genus Hispanum (inquit Hermolaus) Adapis nomine. Cuniculus autem nominatur, quòd sub terra cuniculos ipse faciat. Strabo Leberides (quod à Latino Lepores corruptum judico) à quibusdam nominari tradit ipsos Cuniculos. De Græcis vocabulis Dasypus & Lagides, in Lepore jam dictum est. Apud nos habentur Cuniculi albi, nigri, varij ex vtroq;, fulvi, cinerei, Scaliger. Cuniculi sunt in Thracia ac Macedonia, (inquit idem,) qui juxtà ac nostri, sub terra agitant: leporino pilo, brevioribus auriculis: curto corpore, crasso, cõpacto: qui maximi Gliris haud excedunt magnitudinem: cauda longa & ad sciurinam quàm proximè accedente.

Τὸ τοῖς λαγωοῖς ὅμοιον ζωΰφιον, ὃ καλοῦσι Κυνικουῶ, Galenus de medic. fac. lib. 3.

ITALICE Coniglio. HISPANICE Conéio.
GALLICE Connin. GERMAN. Künigle / Künele / Künlein.



CUNICULUS Indus, ante paucos annos primùm in Europam inuectus ex Novo orbe: nunc ubique frequens est. est enim fœcundissimum animal, cum octonos vel plures vno partu edat. Magnitudine ferè Cuniculi nostri, minor plerumq;: sed corpore breviore. Crura ei breuia: digiti seni anteriùs, quini posteriùs. dentes ut in Muribus. caudæ vestigium nullum. Color aliis alius. Vidi ego totos candidos, & totos ruffos: & utroq; colore distinctum. Vox nonnihil ad Porcellorum vocem accedit: vnde aliqui vulgò Porcellum Indicũ appellare malũt. Vescitur omne genus herbis & fructibus, pane, avena. Parit hyeme etiam, & catulos videntes, non ut Cuniculi cæcos. Superfœtare solet. Potu opus non habet: nisi modico fortè, si cibo sicciore utatur: alioqui facilè hydrope tentatur. In cibo satis suauis est, & pinguis multò subflauo adipe, aut lardo ferè suilli instar, carne minùs alba quàm Cuniculi nostri & humidiore.

GERMANICE Ein Indianisch Küniglein / oder Indisch Seüle.

LATINE & GRÆCE Echinus, Ἐχῖνος, (ἀπὸ τοῦ συνέχειν ἑαυτὸν στρογγυλούμενον: vel per antiphrasin quòd teneri manu non possit.) Vocatur & Herinaceus Latinè: quod nomen sunt ex recentioribus qui sine aspiratione scribant, (in penultima etiam, i vocalem pro e ponit Eucherius:) ego semper aspirare malim, sive ab horrendo deriues, quoniam spinis horret: siue ab hærendo, quòd fructus & alia spinis eius infixa hæreant. Theodorus Echinum marinum non aliter quàm Echinum interpretatur, Plinium fortè imitatus: at eum qui terrestris est, Erinaceũ conuertit. Ego aquatilem Echinum, à Latinis Erinaceum appellari, authorem nõ invenio. quamobrem Hermolaum miror Echinum piscem (sic enim loquitur) Erinaceũ Latinè vocari scribere. Legitur & Hericius apud Eucherium, Ericius apud Varronem, & Herix apud Perottum. Implicitumq; sinu spinosi corporis Erem, Nemesianus dixit. Ἀκανθόχοιρος (id est Porcus spinosus) recentioribus Græcis Herinaceus est, aut etiam Hystrix. vide suprà in Hystrice, Ordine III. Ferorum. Græci recentiores Scanzocheron dicunt.

Erinacei species duæ traduntur à recentioribus: una quæ rostro & pedibus bisulcis Porcum referat, (nondum mihi visam, ut neque peritissimo harum rerum Scaligero:) Sewigel Germanis dictam. alteram pedibus multifidis & rostro similem Cani, Hundsigel Germanis.

Icon hæc est Herinacei, quem caninum Germani cognominant.



ITALICE. Riccio, Rizo. HISPANICE. Erizo.

LUSITANICE Ouriso: vel Orico cachero, eò quòd corpore contracto sese occultet.

GALLICE Herisson. GERMANICE Igel.

Mus



Mus Alpinus. Conduntur hyeme (inquit Plinius) ut Vrsi, & Pontici mures, ita & Alpini: quibus magnitudo media est. *Atqui Alpinos in Murium nobis cognitorum genere maximos esse, Albertus testatur. Hermolaus in Corollario hos Mures magnis oculis esse scribit, prominentibus media magnitudine: quasi in Plinio legerit, quibus magnitudo media oculorum extat. Scaliger Marmotæ suæ, quam tamen Murem alpinum esse negat, Melis magnitudinem tribuit.*) Sed hi pabulo antè in specus conuecto: cũ quidam narrẽt alternos marem ac fœminam supra se complexo fasce herbæ supinos, cauda mordicus apprehensa, invicem detrahi ad specum: ideoque illo tempore detrito esse dorso. Sunt his pares & in Ægypto: similiterq; residunt in clunes, & binis pedibus gradiuntur, prioribusque ut manibus utuntur. Hęc Plin. Ex cuius verbis quin Mus mõtanus ille hîc exhibitus, Plinij Alpinus sit, non est dubitandum: quamvis Scaliger Plinium nullam eius mentionem fecisse scribat, & novo tãtùm nomine Marmotam appellet. Emptra vel enitra apud Albertũ & huius farinæ scriptores, nescio cuius linguæ sit. Germanicũ fortè fuerit, quasi Embder, id est, fœni cordi collector. Arctomys (Α'ρκτομῦς) à divo Hieronymo nominatur, animal (vt inquit) in Palæstina abũdans, à similitudine Muris ac Vrsi nominatum. Hoc Gelenius noster Murem vulgò Cricetum dictũ, interpretabatur. eruditus verò quidã apud nos pro Mure alpino accipit. & quanquam apud nos in altis tantùm ac nivosis alpibus degat, fieri tamen potest, ut in Palæstina quoque, hoc est, in regionis illius montibus inveniatur. Vrso quidem & Muri communia quędam habere videtur, tum corporis specie, tum aliàs. Galenus apud Luçanos ait reperiri animal μεταξύπως ἄρκτυ τε καὶ συός. vbi si μυός legeretur, Arctomûn intelligerem. nũc verò de Mele potius accipio. vide superiùs in Mele. Græcus quidam recentior, cuius de animalibus aliquot libellum manuscriptum habeo: Arctomys (Α'ρκτόμυς, paroxytonum, inquit) unus custodit cæteris pascentibus: & singuli partẽ pabuli ad eum deferunt

deferunt, at ſi negligentior fuerit in cuſtodia, & (homo) aliquis ſubitò ſupervenerit, (*cuius ſcilicet adventum ille non prodiderit voce,*) à cæteris occiditur. Sic ille. Ego hæc alpino Muri tantùm convenire puto: non etiam Criceto. Marmotæ (inquit Scaliger) Melis ſunt magnitudine (*noſtræ minores ſunt, inter Leporem ferè, & Cuniculum*) & pilo: cauda item nulla penè. (*Noſtrarum cauda ad ſex plerumq; digitos accedit.*) Eundē quoq; ad modū crura brevia, aures breviſſimæ, auriculis curtiſſimis, atque ad aſpectum nullis. Vngues longi, acuti, firmi, unci, robuſti, nigri. Inter Mures quidam connumerarunt: cum quorum natura nihil habent commune, præterquàm quòd, ſicuti Sciuri, ſedentes, pedibus anterioribus utuntur ad officia manuum. At hoc etiam Leporum genus utrumq; facit: quorum capita non malè ſuis capitibus Marmotæ quoque referunt. Cum Glirium ſpecie conveniunt in ſomno. hybernos enim totos menſes tranſigunt ſopore. Cum Leporum Muriumque dentibus eorum dentes multam habent affinitatem. Non niſi irritatæ ſæviunt, poſtquam cicures factæ ſunt. Vnam aluimus in Taurinis manſuetam: quæ laneam lineamque omnem ſupellectilem dentibus abſumebat. Hoc etiam domeſtici ſolent Cuniculi. Earum vox à leporina recedit in ſoricinam, aut potiùs in cercopithecinam. Hæc Scaliger. Ego cum Plinio, & Alberto, Murium generi adnumeravi, multas ob cauſas aſtipulantur & vulgaria nomina, quæ nunc exponemus.

ITALICE Murmont, id eſt, Mus montanus: Marmota, Marmontana, Montanella, Varoza.

GALLICE Marmote, ni fallor.

GERMAN. Murmelthier / Murmentle / Miſtbellerle. poſtremum hoc nomen ab acuta & tinnula eius voce factum eſt, qua Caniculas domeſticas ſic propriè dictas quodammodo refert & ſuperat.

GLIS à pinguitudine dictus videtur. gliſcere enim creſcere, & pingueſcere ſignificat. pingueſcit autem ſomno hoc animalculum, tota hyeme dormiens. Albertus Magnus hunc Murem varium nominat, eò quòd dorſo fuſco ſit, ventre autem albo: ſed brevioris (inquit) pili eſt, & tenerioris corii quàm animal quod verè Varium (*Mus Ponticus nimirum, ſive Muſtela alba*) appellatur. Græci Μυοξὸν vocant, ut ex Oppiani & Epiphanii ſcriptis conſtat. recentiores aliqui Myoxum, malè Bufonem interpretantur. Μυωξία per o. magnum in antepenultima, Murium cavernam ſignificat. Μύξος (malim Μύοξος, à quo fortè per ſyncopē



factus eſt Myxus) eſt qui apud nos vulgò Λαγόγηρος [Λαγόνηρος. Varinus) dicitur, Suidas. ego non aliud quàm Glirem intelligo: quem vulgus Italorum hodie multis in locis Galerum vocat, nomine ad Lagonerum accedente, literis tranſpoſitis. De Myxo incantatio legitur apud Suidam ad Aſini dyſuriam: Gallus bibit & non meijt: Myxus non bibit, & meijt. An verò Glires non bibant, affirmare non poſſum. Νηξὶς quoque vox detorta videtur à Myoxo: Varinus Camers interpretatur Murem Cappadocem, qui alio nomine Sciurus dicatur: deceptus nimirū, ſicut & illi qui Ἐλειὸν pro Sciuro acceperunt, vt mox dicemus. Oppianus Myoxos

& Sciuros disertè distinguit: vt Plinius Glires & Sciuros. Apud Aristotelem nec Myoxi nec Sciuri nomen extat: sed ἐλειός, oxytonum: Gaza Glirem vertit. Geo. Agricola Sciurum esse putauit: deceptus nimirum Hesychij verbis: apud quem legimus, corrupta, ut suspicor, hæc: ὄλιος, σκίουρος. ἔλιος. aliqui enim nimirũ ἐλειὸν Sciurum esse putabant. quorum sententiam ipse in vocabulo ἐλειὸς reijcit. nam cum ἐλειὸν dixisset vermi similes animal esse, quo pisces inescentur, subdit: οὐκ ἔστι γὰρ ζῶον τετράπουν ὁ ἐλειὸς καλούμενος μῦς ὁ σκιουργός, (lego σκίουρος:) hoc est, Neque enim ἐλειὸς est animal illud quadrupes è Murium genere, quod Sciurum vocant. Doctissimus Scaliger etiam ἐλειὸν & Μυοξὸν, diversa nomina vnum Glirem significare existimat. Cui aliquis obiecerit locum Galeni lib. 3. de aliment. facult. ubi scribit singulis regionibus suas quasdam peculiares animantes esse: ut Cuniculum Hispaniæ: animal inter Vrsum & Suem ambigens, Lucanis: sicut & illud quod in medio sit τῶν ἀρουραίων μυῶν, καὶ μυοξῶν καὶ τῶν καλουμένων ἐλειῶν (à recto ἔλειος proparoxytono,) quod in illo Italiæ tractu & aliis multis estur. Ego hæc verba, καὶ μυοξῶν, abundare puto, & fortè interpretandi gratia dictionem ἐλειῶν, utpote antiquiorem aut obscuriorem, in margine ab aliquo adscripta, postea in contextum irrepsisse. accedit, quòd ferè cum animal vnum inter alia quædam ambigere dicimus, duo non tria nominamus. Medium autem illud inter Murem aruensem & Glirem animal, apud Lucanos edi solitum, mea quidem conjectura Sciurus fuerit. Sciurum Gliremq; (inquit Scaliger) temere quidam confudêre. Sciurus cauda tegit se: fulvo colore est. Mansuescit: scurriliter & gannit, & ludit. Glis cinereus est, & esculẽtus. Nunquam placet, nisi inter patinas. Nihilo verius quod aiunt, ἐλειὸν ab Aristotele dici, quem nos Sciurum, quòd caudam inuertat. hoc enim est κάμπτειν, id est, flectere: non autem ἑλελίζειν, id est, vertere aut volvere. Sed quia in cavis arborum inuoluit sese, ubi dormiens pinguescat. Sciurus autem ab vmbra caudę, & à flexu, Campsiurus. Lardironus à Cardano dictus libro 10. de Subtilitate, non alius mihi quam Glis videtur: & nomen fortè ab eo confictum, propter lardum, hoc est, pinguitudinem qua gliscit hoc animal. Lardirolum Scaliger putat esse Lombardam vocem, neq; cujus animantis ea sit intelligere videtur.

ITALICE Galero, Gliero, Ghirro: & in Lombardia fortè Lardirono, ut diximus.
GALLICE Liron, Rat liron, Loir, Ratueul, Muret.
GERMANICE Greul / Rell / Rellmuß / grosse Haselmuß.
Gliri congenerem puto Murem Bilchmuß dictum, &c.

SCIURUS Græcum est vocabulũ, quo tamen veteres Græci non usi sunt: sed primus, quod sciam, Oppianus, Antonini Cæsaris tempore. Latini nomen ejus non habent, sed Græco utuntur: à quo aliarum etiam gentium aliquot deducta



sunt nomina, quædam adeò distorta, ut originem vix agnoscas. Sic autem Græci vocarunt à cauda, qua supra dorsum reflexa se tegit & inumbrat. Alio nomine à flexu caudæ καμψίουρος dicitur, apud Hesychium: & ab eiusdem magnitudine ἱππουρος. Cæterum ἐλειὸς & μυοξὸς Græca vocabula, Glirem potius quàm Sciurum significant: ut supra in Glire ostendimus, simulque eius à Sciuro differentiam. Recentiores

centiores quidam, qui Latinè ineptiùs scripserunt, Pirolum & Spiriolum aliquando vocitant. Ineptè etiam Vincentius Belluacensis: Scurulus, inquit, à currendo dictus est. Reperiuntur apud nos tum rutili, tum nigri. Albertus intra primum ætatis annum nigros esse putat, deinde rutilos fieri. Scythicus à nostris colore tantùm differt: de quo proximè.

ITALICE Schiriuolo. HISPANICE Hárda, Esquilo.
GALLICE Escurieu vel Escureau. GERMANICE Eichorn/Eychhorn/Eichhermlin.
ILLYRICE Wewercka: à quo nomine nostri forsan Sciuros Scythicos Veeh/& Werck appellant.

Sciuri Scythici iconem non damus, quòd solo colore à nostrate differat.

SCIURUS Scythicus fortè non alius est, quàm Mus Pōticus olim dictus: à recentioribus (vt Isidoro, Alberto, aliis) Varius, ob colorem. Aliqui Fennicum aut Venetum murem nominant: Hermolaus Muris Pontici nomine tum Varios, tum Hermelinos accipit: cum hi omnino Mustelæ albæ sint, illi Sciuri varij aut cinerei. Sciurus Fennicus (inquit Agricola) solo colore differt à nostrate Sciuro. nam in cādido cinereus est. in Polonia invenitur cui rutilus color mistus cinereo. Græci hodie vulgò etiam domesticum Murem, Ponticum ineptè vocant. Venetis (Muribus) in dorso color (*varius,*) à quo dossuariæ (*Italis vulgò Dosse*) pelles vocantur: quandoque ferrugineus, deterior priore, Hermolaus. Venetorum autem nomine in eius verbis Septentrionalem gentem intelligo. Conduntur hyeme & Pontici Mures, hi duntaxat albi: quorum palatum in gustu sagacissimum authores quonam modo intellexerint, miror, Plinius. Vide superiùs in Mustela alba. Sciurorum (inquit Olaus) infinita est multitudo in Septentrionalibus syluis, pilorum densitate & colore distincta. Eorum pelles tanto pulchriores sunt, quanto remotiùs ad Septentrionem capiuntur: deteriores, quò propiùs Austrum. Caro huius bestiolæ assa venatoribus est pro esca suaui, & cætera.

ITALICE Vare, à vario colore. Pelles priuatim Dosse vocantur. nam venter albicat: dorsum duntaxat propter varium aut cinereum colorem in precio est. Varum ventris pellem vocat Venetus: dorsum, Dossum, Scaliger.

GERMANICE Feeh oder Veech/ quasi Venetus aut Fennicus Mus. Vide superiùs etiam in Sciuri simpliciter nominibus Germanicis, Pundten/Pundtmuß: non à Ponto opinor: sed à decadibus pellium, quæ in fasciculos (Bündt vocant Germani) colligantur. Werck/Grauwerck.



Mus Ponticus aut Scythicus, Sciurúsve, alius, quem volantem cognominant. licebit & Sciurum latum nominare. Hujus pelles duas Antonius Schnebergerus meus è Lithuaniæ Vilna ad me misit. Mitto tibi (inquit) pellem paruam, superficie pilorum cinerea siue albicante: radice verò (.i. parte interiore) è fusco nigricante. Popyelycza latayacza, id est, Murem Ponticum volātem, à celeritate cognominant. Semper humidior apparet. non potest à pellionibus præparari. Vtuntur ad oculos dolentes abstergendos, vim quandam singularem ad oculorum dolores mitigandos aut curandos ei inesse persuasi. ego mollitiem eius puto invitasse primùm vt oculis abstergendis adhiberetur. sed cum pili non firmiter cuti hæreant, non sine periculo fieri videtur. Iuxta vel supra anteriores pedes, pilos ferè in orbem eminētes habet: alas appellant. quidam de arbore in arborem volare putant. Sic ille. Ego pelles missas cum crudæ essent, & à tineis ne perirent periculum, pellifici dedi: qui eas

præparauit cum aceto & fæce vini, &c. unde egregiè remollitæ & extensæ sunt. earum nunc utraque longa est palmos duos (id est digitos octo) capite & cauda exceptis, latitudo eadem: ut Mus vel Sciurus quadratus vocari mereatur. Cauda quatuor aut quinque digitorum est: similis cæterorum Sciurorum caudis, dēsis hirsuta pilis, albo nigroq; distincta. Ventris & totius pronæ partis color candicat, pilis interiùs fuscis. Pilorum mollities summa est, & ad oculos aliámve partē demulcendam lenissimo ductu tanquam holoserici, sed multò mollior, idonea. Auriculę breviores rotundioresq; quàm in Sciuro. Pedes non satis apparent: Prona pars à supina distinguitur ceu linea quadam, à qua prominentes pili densiores solidioresque sunt: &, ut conijcio, ad volatum promovent: sicuti etiam ipsa corporis prætenuis latitudo: ut pisces lati sua latitudine natant. Aiebat pellifex vidisse se apud Silesios vestes etiam his pelliculis (quibus nihil tenerius) præparatis subduci. GERMAN. Fliegend Vech.

Lineas caudæ pictor non expreßit corporis lineis respondentes.



SCIVRVS Getulus (inquit Io. Caius, qui hanc eius Iconem misit) coloris est mixti ex rufo & nigro. Eum ab armis ad caudam per latera albæ fuscæq; lineæ, alternatim certis distinctæ interuallis, decentissimè depingunt. Idem aliquibus fit in colore ex albo & nigro, respondentibus etiam in cauda lineis: nisi si quando expansa cauda propter pilorum raritatem eædem dispareant. Venter illi cœruleū colorem imitatur in albo positum. Paulò minoris est vulgari Sciuro. nec aures extantes habet, ut ille: sed depressas magis & ferè capiti æquas, orbiculares, & per cutis superficiem deductas in longum. Caput, Ranæ ferè est. Cætera similis vulgari Sciuro. Nam figura corporis eadem, eadem natura pili, mos idem, & vivendi ratio. Cauda se contegit more cæterorum Sciurorum. Hæc Caius. Et rursus in alia epistola: Sciurum Getulum ad viuum depinxi. Nam è Getulia (quam hodie vocant Barbariam) à mercatore quodam aliquot vivi ad nos allati sunt, utriusque, quem dixi, coloris. Eos ad delicias viuos alimus, & extra omnem controversiam Sciuri sunt. Nam (ut dixi) & mores, & magnitudo, & viuendi genus, & vox, & agilitas, & usus caudæ, & erecta insessio quando est, & cætera respondent: etsi ego depingendum curavi extenta cauda, ne corpus adumbraretur, caudaq;, qualis esset & colore & figura, ostenderetur. Hic nimirum ex Ægyptiorum seu Africanorum Murium genere est. In Africa (inquit Herodotus) tria Murium genera sunt: quorum alij bipedes vocantur: alij Zegeries Punica lingua, quod in nostra pollet idem quod colles, (βουνοὶ,) alij Echines, &c. Plura leges in nostra Quadrupedum historia, capite De Muribus diversis secundū regiones. Echines quidā dicuntur pilos duros sicut Herinacei habere. Zegeries nomen ad Sciuros alludit. Bipedes dicti feruntur (similiter ut Sciuri) prioribus pedibus pro manibus uti: & cum urgentur, salire.

GERMAN. Ein Africanischer Eichorn: ein sundere art der Eichornen auß Barbaryen.

Effigies

Effigies Criceti hæc sumpta est ex Germanico libro De quadrupedibus Michaëlis Heri.



Alia eiusdem accuratior, quam à Jo. Kentmano accepi, eo corporis habitu, quo per iracundiam esse solet, aut cum se comprimit, ut color eius (nam pictum cum coloribus ad viuum misit) in parte prona supinâque & in lateribus appareret.



CRICETUS, vt dicunt quidam, (inquit Albertus,) animal est paruulum, dorso rubro, &c. quod de antro suo non facilè extrahitur, nisi aqua fervente, vel alioquin humore infuso: in quo ei convenit cum Cuniculo & Citello. Germanice vocatur Hamester / Albertus. Conijcio autem idem esse animalculum, quod alibi ab eo Traner, nescio qua lingua, vocatur. Id (inquit) animal est paruum, speciosum, rubri coloris, Cuniculi magnitudine: mirum in modum pugnax & animosum: in cujus signum ad protectionem capitis & cerebri à natura galeam osseam accepit. Criceti quidem nomen nouum est, & ab Illyrico Skrzeczieck / vt conijcio, factum. Vetus quidem eius Latinum aut Græcum nomen, nullũ scio: quanquã aliqui hunc Arctomûn divi Hiero. esse putarunt: quẽ nos potiùs pro Mure alpino accipimus. Mustelarum generis (inquit Geo. Agricola) est etiam Hamester / quem quidam Cricetũ nominant. Etenim existit iracundus & mordax adeò, ut si eum eques incautè persequatur, soleat prosilire, & os equi appetere: &, si prehenderit, mordicus tenere. In terræ cavernis habitat, non aliter atque Cuniculus, sed angustis: & idcirco pellis, qua parte vtrinq; coxam tegit, à pilis est nuda. Major paulò quàm domestica Mustela existit. Pedes habet admodum breves. Pilis in dorso color est ferè Leporis: in ventre, niger: in lateribus, rutilus. Sed utrũque latus maculis albis, tribus numero distinguitur. Suprema capitis pars, ut etjam cervix, eundem, quem dorsum, habet colorem: tempora rutila sunt: guttur est candidum. Caudæ, quæ palmum longa est, similiter Leporis color. Pili autem sic inhærent cuti, ut ex ea difficulter euelli possint. Ac cutis quidem faciliùs à carne auellitur, quàm pili ex cute radicitus extrahantur. Atque ob hanc causam, & varietatem, pelles eius sunt preciosæ. Multa frumenti grana in specum congerit, & vtrinq; dentibus mandit. Ager Turingiæ eorum animalium plenus est, ob copiam & bonitatem frumenti: Hucusq; Agricola. Sed inter Mures potiùs quàm Mustelas numerandum hoc animal mihi videtur: quod ex dentibus maximè confirmari posset: qui tamen quales sint, adhuc ignoro.

Mus Noricus quoq; vel Citellus dictus, (inquit idem Agricola) in terræ cavernis habitat. Ei corpus, ut Mustelæ domesticæ, longum & tenue, cauda admodũ brevis. Color pilis, ut Cuniculorum quorundam pilis cinereus, sed dilutior. Sicut Talpa caret auribus: sed non caret foraminibus, quibus sonum vt auis recipit. Dentes habet Muris dentibus similes. Ex hujus etiam pellibus, quanquã non

sunt preciosæ, vestes solent confici. Hæc ille: qui & Germanicè Pile interpretatur: Albertus Zisel vocabulo in Austria usitato. aliqui, ni fallor, Bilchmausz vocant: alij grosse Ziszmausz/grosse Haselmausz. Hujus Muris iconem nondum habere potui.

Germanice Hamster vel Hamester/vt dictum est. Circa Argētoratum Kornfärle/id est Porcellus frumentarius, quòd cavernas in arvis frumento consitis fodiat. Græcè μῦν σιτολόγον dixeris.

Illyrice Skrzecziek: unde Criceti nomen ductum videtur.

Mvs domesticus communis vel minor.

Græce Μῦς, Μῦς κατοικίδιος. Vulgò hodie ποντικός.

Italice Topo, (Hispani Talpam sic vocant:) Sorice, Sorgio di casa.

Hispanice Rat. nam Murem majorem vocant Ratón.

Gallice Souris. Germanice Mausz/ Hauszmausz.

Anglice Mows / Mouse.



Mus exiguum est animal, incola domus nostræ (ut Plinius loquitur) rosor omnium rerum. Ruinis imminentibus (inquit idem) Musculi præmigrant. Soricem cum Mure communi aliqui confundunt, ut Galli & Itali vulgaribus vocabulis. alij Murem majorem interpretantur: alij Araneum murem. Plinius manifestè distinguit, Soricem sylvestrem faciens, & majorem, auriculis etiam caudaque pilosis: qualem mox exhibebimus. Μῦν ἀγρεαῖον. id est, Murem aruensem Aristotelis, Gaza Soricem vertit.

De Muribus diversis Americæ, lege Andream Theuetum in ejus descriptione Gallica, cap. 67.

De Muribus vulgò Lemmer dictis, qui in Nortvegia è nubibus cadunt, vide suprà in Hermelino, id est, Mustela alba.

Mus domesticus major, quem Rattum appellàrim cum Alberto. quoniam hoc nomine non Germani tantùm: sed Itali etiam, Galli & Angli utuntur.

Italice Rato di casa, Pantegana, (quod nomen sumptum videtur à Græco vulgari Ponticus, quo tamen Murem simpliciter, etiam minorem appellant:) Sourco.

Hispani Murem minorem Rat vocant, majorem Ratón.

Gallice Rat. Germanice Ratz. Anglice Rat, Ratte.

Muris huius distinctam à minore mentionem apud veteres non invenio. Gelenius noster in Lexico symphono suo tria hæc vocabula, Sorex, Ratz/ῥάτης Latinum, Germanicum, & Græcum, tanquam idem significantia conjungit. Græcum fortè apud recentiores aliquos reperitur. nam in veterum libris nusquam mihi occurrit, sed ne in Lexicis quidem. Cynoraistes Græcè, Croton seu Ricinus est,

eſt, dictus quòd Canes perdat. ῥαίειν enim interpretatur φθείρειν. Hyrax quidem (ὕραξ) quo pro Mure Nicander utitur, prima ſyllaba omiſſa, ſatis cum Germanico congruit: ut & cum Latino Sorex, aſpiratione, in ſ. mutata, ut fieri ſolet. & ῥίσκος fortaſſis, quod Muris genus facit Heſychius. Ge. Agricola Rattum putauit eſſe Mygalen, id eſt, Araneum murem, quòd magnitudine ferè muſtelina, Muris autem ſpecie ſit. Aëtius certè contrà, Mygalę magnitudinem Muris tribuit, colorem autem Muſtelæ. Nos verum Araneum murem mox dabimus.

Sorex Plinij. nam & ſylveſtris eſt. & cauda piloſa. & per hyemen dormit: quæ omnia Sorici Plinius adſcribit. an verò Sorex hic noſter etiam aures piloſas habeat, ut Plinius vult, non ſatis memini. Videntur tamen aliquando etiam pro domeſtico Mure Soricis nomen uſurpare veteres. Domeſtico quidem, ſed maiori, ſimilis eſt ſylveſtris ille, quem hic pingimus. Vide ſuperiùs in mure minori. Græcè forſitan ὕραξ, ut jam in Ratto dixi. Recentioribus Mus corylorum vel avellanarum. Poteſt & Mus ſyluaticus dici.





Hispanice. Sorce, vel Raton pequenno, ni fallor.

Gallice Lerot: Germanice Haſelmauß / kleine Haſelmauß / Schlafratz.

Illyrice Niemegka miß / ni fallor.

Mus aquatilis quadrupes Bellonij, ultimo Aquatilium Ordine inter amphibia nobis exhibitus est.



MVs agrestis major. Μῦς ἀρουραῖος Aristoteli, hoc est, Mus arvensis. Gaza Soricem transtulit: Plinius Murem agrestem, quod magis probo, distinctionis causa. Alius & minor, quàm hic, est agrestis Mus ruffi coloris: quem in frumentariis aliquando abundare, terræ scilicet putredine in Mures conversa, existimo.

GERMANICE Erdmuß / Nülmüsz / Schormusz / Stoszmusz / Luckmusz / grosse Ackermusz.

Mus Araneus.



Mus Araneus, Mus cæcus, Mygale. Vide superiùs in Mure domestico majore.

ITALICE apud Rhætos Musseraing.

GALLICE Muserain, Muzeraigne, Muset, Musette, Sery.

GERMANICE Mützer / Spitzmusz / Zißmusz. Silesiis Bisemmusz. siccatus enim in furno mirè moschum olet: ut inde meritò Μῦς μοσχίας dici queat. Sed est aliud etiam Muris genus, (quod recentiores aliqui Latinè Citellum,) Zißmusz Germanis dictum, sed differentia ferè majoris adjecta: Die grosse Zißmusz / Pile / Bilchmusz / Büchmusz.

LATINE	Talpa.	ITALICE	Talpa.
HISPANICE	Tópo.	GALLICE	Taulpe.



GERMANICE Maulwerff / Moll / Mollmusz / Scherrmusz.

ANIMALIVM QVADRVPEDVM OVIPARORVM ICONES ET NOMENCLATURÆ.

Crocodilorum Fluviatilis & terrestris: & phattagæ, id est, Caudiverberæ vulgò dictæ, icones & nomenclaturas dedimus sub finem Libri De aquatilibus.



Chamæleontis Icon, quam Venetiis olim à Petro Gillio accepi. Johanni Caio Anglo tum hæc, tum à Bellonio posita imago, ad sceleton potiùs, quàm ad vivum aut recens corpus depictæ videntur.

LATINE & GRÆCE Chamæleo, χαμαιλέων. Animal est peregrinum ex Africa, quamobrē nomen in aliis linguis non habet.

Chamæleon (inquit Io. Leo Africanus) animal figura & magnitudine lacertæ, deforme, gibbosum ac macilentum, cauda prælonga & instar Muris tenui, lentè progreditur. Aëris alimento ac Solis radiis nutritur, ad quorum exortum rictu diducto se voluit, corpusque ad Solem gyrat ac flectit. Colorem pro loci quem videt varietate facilè commutat, modò viridis, modò niger, quod & ipse vidi, effectus. Venenatis serpentibus admodum insidiatur: & si quem sub arborē dormientem conspiciat, eam subitò conscendit, & locum capiti serpentis adversum dispiciens, ex oris rictu mucoris filum, cujus extremitati guttula margaritæ similis appendet, vibrat: quem si obliquè cadere animaduertat, loco pedes amovet, donec mucoris extremitas serpentis caput contingat, cujus virtute penetratus evestigio moritur. Nostri scriptores plurima de hujus animalis proprietate occultisq; virtutibus in scripta retulere, quæ memoria nobis exciderunt.

GERMA. Ein frömd thierlein auß Barbareyen/ Chameleo genannt. Mag ein Rattadex / oder Ratzegochs genennt werden. darumb daß es zum theil einem Ratzen / zum theil einem Heydox sich vergleicht.

TESTUDO

Teſtudinis terreſtris putamen tantùm hoc tempore habuimus.



Testudo terreſtris (χελώνη χερσαία) eſt, quę nec in dulci, nec in ſalſo humore degit, nec in cœno & paludibus, ſed locis ſiccis. Terreſtres in operibus Cherſinæ vocantur, inquit Plin. Nicander ὀρείην, id eſt, mōtanam cognominat, Oppianus ὀρεσίφοιτον. Videntur autem montanæ (ὀρειναὶ, Arriano) cæteris terreſtribus majores fieri. Differunt terreſtres colore, (nam & albæ reperiuntur,) teſtæ craſſitudine, & aliter. In Africa & inſulis quibuſdam Rubri maris, laudatæ & precioſæ reperiuntur earum teſtæ.

De Teſtudinibus quidem in genere, & marinis privatim, diximus in Libro iconum Aquatilium, ad finem Ordinis XII. qui eſt De cetis. De lutaria verò, inter Amphibia, eiuſdem libri.

Gallice Tortue des boys, id eſt, Teſtudo ſylvarum.

Germanice Ein Erdſchiltkrott: wonet allwäg oder allermeeſt auff der erden: wie die Tällerkrotten (welche ein äbne ſchalen/gleich einem täller/oben vnnd vnden hand) im mür: vnnd andere im Meer.

Tartarucæ, id eſt, Teſtudines plurimæ (*inquit Io. Leo Africanus, amphibijs eas adnumerans: quanvis inter terreſtria etiam referri poterant ex ipſius ſententia, quod in deſertis uitam degant*) in deſertis Libyæ reperiuntur, quæ ad magnitudinem dolij accedant. Tradit Bicris geographus, hominem itineris tædio defatigatum, ſub veſperam eminens in deſerto ſaxum, ne à venenoſis animalibus infeſtaretur, cōſcendiſſe, qui ad lucem grauiter dormiens, tribus ferè paſſuum milibus à quo reclinauerat loco traductus, intellexit quod ſubijſſet ſaxum Teſtudinem fuiſſe: quæ interdiu firma, noctu rependo pabularetur, uerùm adeò lentè, ut uix percipi poſſet. Huiuſmodi Teſtudines vidi quæ mediocris vaſculi amplitudinem attingerent, nullas autem tam prodigioſæ magnitudinis. Carnes ajunt lepram curare, ſi ſeptennium non excedant, quibus ſeptem diebus continuò veſcendum ſit.

Latine Lacertus aut Lacerta viridis.

Græce Σαύρα χλωρὰ & recentioribus χλωροσαύρα, Κολισαύρα.



Italice Ramarro, Gez.

Gallice Lyſarde verde.

Germanice Grüner Ader/grüner Egochs.

Latine & Græce Scincus, Σκίγκος, Κίκερος, Κροκόδειλος χερσαῖος. Crocodilus terreſtris, minor nimirum. nam alium majorem cum amphibiis poſt Aquatilia poſuimus. Verus hic Scincus ex Alexandria, noſtra memoria adferri cœpit: cum priùs Salamandra aquatica quæ apud nos reperitur, pro Scinco: hoc eſt, præſentiſſimo veneno pro remedio vterentur pharmacopolæ. Scinci nomen ab Ægyptio Suchus (ſic enim Crocodilum in Ægypto vocari author eſt Strabo) deflexum conjecerim.

Italice



ITALICE Scinco vel Stinco.

GERMANICE. Ein Egochſen art auß Aegypten / in den Apotecken bekannt vnnd Stinck genennet.



LATINE Lacertus vel Lacerta ſimpliciter. Kiranides Lacertæ tria genera facit: heliacã, omnibus notam, vt inquit: χαλκῆ̃, id eſt, æream: & chloràn, id eſt, viridem. Ego vulgarem noſtrum Lacertum pro heliaco (cujus etiam Epiphanius meminit) acceperim: cui nomen forſan ab eo factum eſt, quòd Sole & apricatione gaudeat. ærea verò ſeu chalcidica cognomine, à colore nimirum, (quæ & Chalcis & Zignis & Seps vocatur,) peregrina & alterius orbis, multoque magis venenata mihi videtur: quanquam Ge. Agricola Germanicum eius nomẽ finxit, Kupferader / id eſt, ærea Lacerta.

ITALICE Liguro, Leguro, Lucerta, Lucertula. & fortè etiam Ramarro: Vide in Italicis nominibus Buffonis.

GALLICE Lyſarde.

GERMANICE Ader / Egles / Egochß.

LATINE & GRÆCE Salamandra, Σαλαμάνδρα.

ITALICE Salamandra.

GALLICE Sourd, Blande, Alebrenne, Arraſſade, That, & Normannis (ni fallor) Muron.



GERMANICE Maal / Moll / Molch / Moldwurm / Olm / Puttermaal / Quatterteſch.



Salamandræ figura falſa: quam addidimus reprehendendi tantùm cauſa illos qui eam publicarunt. Apparet autem cõfictam eam eſſe ab imperitis, ne dicam impudentibus quibuſdam, Salamandram & Stellionem unum animal eſſe arbitratis: & cum à ſtellis Stellionem dictum legiſſent, dorſum eius ſtellis inſignire voluiſſe. Pilos etiam addiderunt contra hujus generis naturam: quoniam amiantum, alumen plumæ vulgò dictum, pilorum quadam ſpecie, Salamandræ pilos aliqui nominant.

Lacerti

Lacerti Aquatici, ſeu Salamandræ aquatilis, imaginem & nomina dedimus ſub finem Libri De Aquatilibus inter Amphibia.

De Ranis aquaticis ibidem leges, & Ranarum in genere diuiſionem. hîc de Terreſtribus dicendum.



Bufo (ſeù Buffo, ſed malim per f. ſimplex) à Vergilio nominatur his verbis, Inventuſq; cauis Bufo. Rubeta (inquit Hermolaus) inflat ſe irata, tã protervè audax, ut inſiliat quoq; proximum, quanquam ſuſpirio ſe frequentius quàm morſu vindicans: Buffo inde, ut arbitror, à Vergilio & vulgò dicta. Sic ille. Qua voce Græci Buffonem appellarent, fruſtra quæſiui diu. Qui Μυοξὸν ab illis nominatum arbitrantur, à veritate abſunt tantum, quantum diſtat à Glire Buffo, Scaliger. Ego omnino φρῦνον Græcorum eſſe puto. nam quanvis aliqui φρῦνον & βάτραχον ἕλειον, id eſt, Rubetam, & Ranam paluſtrem (venenatam ſcilicet) non diſtinguant: alij tamen manifeſtè diſtinguunt, ſiue quòd ſpecies ſeparatæ ſint: ſiue quòd relictis paludibus, aut eis deſiccatis, ex paluſtri Rubeta terreſtris fiat. Ego ſpecies duas conſtituo, terreſtrem perpetuò: & aquaticam: quæ ſi aquas deſerat, aut deſeratur, propter elementi mutationem, ſpeciẽ ferè immutat, (ut tertia hæc ſit Bufonis ſpecies, & multò pernicioſior redditur: ſicuti Hydrus etiam in Cherſydrum conuerſus. Accedit, quòd ſimiliter turgere per iracundiam, & inflare ſe dicitur, Apud Aëtium: ut Buffo à noſtris: & afflatu quoque ſimiliter malefica eſſe. Sed κάρφυκτος quoque Rhodiis uſitatum nomen pro Phryno (teſte Heſychio) cũ Gallico Crapaude fermè convenit, φρῦνος maſc. genere frequentius eſt, Ælianus etiam fœminino φρύνην dixit. Phryganium Plinio memoratum non aliud quàm Rubeta mihi videtur. Rubetam terreſtrem trium generum obſervaui: unam majorem, quam Rondeletius ſimilem eſſe ait paluſtri Rubetæ (quam inter Amphibia in Aquatilium libro ab eo mutuati ſumus) ſed majorem. alteram minorem, quæ ſub terra vel ſtercore invenitur, oculis multum prominentibus, & viréſcentibus: cujus iconem hic exhibemus. Et hujus (minoris) alteram ſpeciem, oculis aureolis: quam deſcripſi cum aquatilium Ranarum iconibus in diviſione generis Ranarum ad numerum 5. Ibidem ad numerum 6. Rubetæ foſſilis ſeu ſaxatilis mentio fit: Ea circa Regenſpurgum, agri Tigurini caſtellũ, reperitur (Steinkrotten vocant,) inter lapides montis, qui ferè calcarij ſunt: in quorum rimis & fiſſuris latet, nulla in propinquo aqua. vere non apparent, niſi inſtet calor cũ primum incipiunt apparere. Vocem edit per intervalla, aliarum Rubetarum voci (de qua Mönen dicunt, per onomatopœiam puto) diſſimilem. Fœmina ova ventri annexa gerit vt Cancri: quod ex egregio & doctiſſimo viro Con. Sutore, ejus loci eccleſiaſte cognovi.

Italice Roſpo, Botta, Boffa, (Babi etiam, Scaligero:) alicubi Chiatto (vt apud Rhætos qui Italicè loquuntur Chatt) vel Zatto. item Buffo, Buffa, Buffone, Ramarro. ſed poſtremum hoc nomen Lacerto minori potiùs deberi puto.

Hispanice Sápo eſcuérco.

Gallice Crapault: circa Neocomum Boug. Scaliger ſcribit Crapaud. vnde (inquit) lapidem Buffonitem, Crapaudinam vocant.

Germanice. Krott/Krote/Quapp: Gartenkrott/Erdkrott:

Flandris Padde.

RANA vel Rubeta gibbosa, vt nos cognominauimus. Lurida hæc terrestris Rana, &(ut ex ipso colore apparet) venenosa, mutaq; (nisi vox vi aliqua exprimatur) in hortis & syluis inter frutices reperitur apud nos: magnitudine qua vulgares aquaticæ Ranæ, dorso gibboso vtrinque ad latera eminentibus ossiculis. Color ei viridis ferè, sed ob-



scurus & subfuscus est. latera maculis ruffis scatent. sunt & digiti pedum ruffi. De mutis quidem Ranis non satis sibi constant veteres, & species diuersas confudisse videntur.

GERMANICE Graßfrosch/Gartenfrosch/Holtzkrot.

RANUNCULUS seu Ranula viridis, Rana calamites aut dryopetes cognomine: quòd inter arundines aut arbusta degat. Veterum aliqui hanc mutam dixerunt: sed cùm voce sua pluuias præsagiat, unde & Mantis appellata videtur, non est muta: nec adeò venenosa, arbitror, ut Rubetæ & mutæ ab eis dictæ Ranæ. ego nullam prorsus mutam esse puto Ranarum speciem: sed si fluuiatilibus & coaxantibus Ranis conferantur terrestres, mutæ videri possunt, in primis verò gibbosa, ni fallor.



GRÆCE βάτραχος καλαμίτης, βάτραχος χλωρὸς ἢ μικρὸς ὁ ἐπὶ τῶν καλάμων γινόμενος. βρέκας [vt Aëtius] aliquibus, Galeno teste, per onomatopœiam fortè: aut à præsagio pluviæ. βρέχειν enim Græcis pluere est: quasi diceret βρέξει, βρέξει, id est, pluet, pluet. βρεκεκεκὲξ, κοὰξ, κοὰξ. Aristophani fictitia de Ranarũ voce nomina sunt. Germanicum etiam Ranæ fl. nomen ad Græcum Brexas accedit.

Vbi manum inijcit benignè, ibi onerat aliquam zamiam, Plautus de homine auaro blandiente: ubi Scholiastes: zamiam (inquit) id est, damnum. nam zamiæ dicuntur Ranulæ in arbore, quæ nisi detrahantur, alios lædunt. Sic ille: sed absque authore. ego ζημίαν Græcè damnum significare scio, pro quo Doricum est ζαμία, (cui simile Germanicum jamer, id est, calamitas:) qui tamen vel Latinè vel Græcè hoc vocabulum pro Rana vsurpauerit invenio neminem.

ITALICE Racula, Ranocchio, Verdacula, Ranauoto, Ranonchio de rubetto.

GALLICE Renogle, Graisset, Croisset, Verdier.

GERMANICE Laubfrösch.

FINIS.

ADDITIONES QVÆDAM. AD ORDINEM II. QUADRUPEDUM MANSUETORUM.

HINNULUS ex Tauro & Equa generatur. Multos vidimus, inquit Scaliger. duos olim habuimus: nunc unam fœmellam: cujus aures inter ossea tubercula duo semijuglandis magnitudine paternæ frontis præ se ferunt rudimentum. Huic generi aiunt quidam superiores deesse dentes. Illud in iis vitium frequens, quòd inferior mandibula porrectior est superiore: quod in multis conspicitur piscibus. Besi dicuntur à Gabalis & Aruernis.

CONSTAT in Cozumella & Lucatana atq; aliis insulis, CANES altiles haberi ad vescendum: quos latratum ullum edere negant, Scaliger. De CANIBUS feris leges in Lupo.

AD ORDINEM I. QUADRUPEDUM FERORUM,

Qui est De feris cornutis.

BISONTEM Lithwani (inquit Sigismundus liber Baro in Herberstain, &c.) lingua patria vocant Suber: Germani impropriè Aurox vel Urox: quod nominis Vro convenit, qui planè bovis formam habet, cum Bisontes specie sint dissimillima. Iubati enim sunt Bisontes, & villosi secundum collum & armos, barba quadam à mento propendente: pilis moscum redolentibus, capite breui: oculis grandioribus & torvis, quasi ardentibus, fronte lata. cornibus plerunq; sic diductis & porrectis, ut intervallum eorum tres homines bene corpulentos insidentes capere possit: cujus rei periculum factum perhibetur à Rege Poloniæ Sigismundo, (huius qui nunc regnat Sigismundi Augusti patre,) quem bene habito & firmo corpore fuisse scimus, duobus aliis se non minoribus sibi adjunctis. Tergum ipsum ceu gibbo quodam attollitur, priore & posteriore corporis parte demissiore. Qui venātur Bisontes, eos magna vi, agilitate & solertia præditos esse oportet. Deligitur locus venatui idoneus, in quo sint arbores justis diremptæ spaciis, truncis nec crassis nimis, ut facilè circumiri possint: nec paruis, vt ad tegendum hominem sufficiant. Ad has arbores singuli venatores disponuntur, atque ubi Canibus persequentibus exagitatus Bison eum in locum propellitur: qui primus ex venatoribus sese profert, in eum magno impetu fertur. At is objectu arboris sese tuetur, & quà potest percutit venabulo feram: quæ ne sæpius quidem icta cadit, sed incensa magis ac magis rabie, non tantùm cornua, sed etiam linguam vibrat: quàm ita scabram & asperam habet, ut venatorem solo vestis eius attactu comprehendat & attrahat: nec antè relinquat, quàm occidat. Quòd si quis fortè circumcursitando & feriendo delassatus respirare cupit, is feræ obiicit pileum rubrum, in quem & pedibus & cornibus sævit. Si verò alteri in idem certamen non confecta fera descendere libet, ut fieri necesse est, si salvi illinc abire velint: is eam facilè in se provocat, si vel semel sono barbaro Lululu succlamārit. Sic ille in Commentariis suis Rerum Moscoviticarum, editione secunda, ubi imaginem quoq; huius feræ, qualem nos etiam ab ipso nacti sumus, exhibet.

BISON albus Scoticus. Calydonia Scotiæ sylua gignere solet boues candidissimos, in formam Leonis jubam ferentes, cætera mansuetis simillimos: verùm adeò feros indomitosq; atq; humanum refugientes



refugientes conſortium, ut quas herbas arboreſq; aut frutices, humana contrectatas manu ſenſerint, plurimos deinceps dies fugiant. capti autem arte quapiam (quod difficillimum eſt) mox paulò præ mœſtitia moriantur. Quum verò ſeſe peti ſenſerint, in obuium quencunq; magno impetu irruentes eum proſternunt. non Canes, non venabula, nec ferrum vllum metuunt. Carnes ejus eſui jucundiſſimæ ſunt, atq; in primis nobilitati gratæ, verùm cartilaginoſæ. Cæterum quum tota olim ſylua naſci ea ſolerent, in vna tantùm nunc eius parte reperiuntur, quæ Cummirnald appellatur: aliis gula humana ad internecionem redactis. Hæc ille. Mihi quidem genus hoc Bovis videtur rectè appellari poſſe Biſon albus Scoticus vel Calydonius: eò quòd Leonis inſtar jubatus ſit, ut de Biſone Oppianus ſcribit: ſed non etiam barbatus: ut Biſon ſimpliciter dictus eidem.

GERMANICE Ein art wilder Ochſen/findt man in dem wald Caldar oder Callendar genannt/im Königreich Schottland/ gantz weiß von farb/ mit langen haar vmb die ſchultern vnd bruſt wie ein Löw.

VRos (inquit Sigiſmundus Liber Baro) ſola Maſovia Lithwaniæ contermina habet: quos ibi patrio nomine Thur vocāt, nos Germani propriè Vror dicimus. Sunt enim verè Boves ſylueſtres, nihil à domeſticis bobus diſtantes, niſi quòd omnes nigri ſunt, & ductum quendam inſtar lineæ ex albo mixtum per dorſum habent. Non eſt magna horum copia: ſuntq; pagi certi, quibus cura & cuſtodia eorum incumbit: nec ferè aliter quàm in viuariis quibuſdam ſeruātur. Miſcentur Vaccis domeſticis, ſed non ſine nota. Nam in armentum poſtea, perinde atque infames, à cæteris Vris non admittuntur: & qui ex eiuſmodi mixtione naſcuntur Vituli, non ſunt vitales. Sigiſmundus Auguſtus rex mihi apud ſe oratori donauit exenteratum unum, quem venatores ejectum de armento ſemivivum confecerant: reciſa tamen pelle quæ frontem tegit. quod non temerè factum eſſe credidi: quanquam cur id fieri ſoleret per incogitantiam quandam non ſum percontatus. Hoc certum eſt, in precio haberi cingula ex Vri corio facta: & perſuaſum eſt vulgò horum præcinctu partum promoveri. Atque hoc nomine regina Bona, Sigiſmundi Auguſti mater, duo hoc genus cingula mihi dono dedit: quorum alterum ſereniſſima domina mea Romanorum regina, ſibi à me donatum, clementi animo accepit. Hæc ille. Ego etiam ex Vri pelle cingulum ab Antonio Schnebergero meo ex Polonia miſſum accepi: cuius corium duriuſculum validumq; eſt, pili verò (quod mireris) molliſſimi, inſtar pecoris lanæ, denſi, coloris nigri, ſed ruffo modicè admixto, ſi propiùs ſpectes. Icon quam ſuprà po-

ſuimus pag.30.tanquam Vri, cum venatore poſt arborem ſtante & vulnerante ipſum venabulo, Biſontis eſt potiùs ſecundum Sigiſmundum Baronem, (quanuis non ſatis probè facta,) qui hoc modo Biſontes (quibus & barbam tribuit) nō Vros capi ſcribit. Plinius alicubi Bovem ſylueſtrem nigrum nominans, Vrum intellexiſſe videtur. Sunt & apud Arachotos Boues feri, colore atro, corpore robuſto, rictu leuiter adunco, (ἐπίγρυποι,) quorum cornua reſupinantur, ἐξυπτιάζονται: qui ad Biſontes potiùs quàm Vros accedere videntur.

Inter Floridam peninſulam Novi orbis & Palmam flumen, (inquit Andreas Theuetus) ferarum monſtroſarum formæ diuerſæ reperiūtur: & inter alias Taurus quidam grandis, cuius cornua ſunt pedalia tantùm. dorſo imminet tumor ſicut in Camelo. pilus toto corpore prolixus eſt, colore Mulæ flauæ aut ex ruffo nigricantis, ea maximè parte quæ ſub mento eſt. Huius generis duo vivi aliquando in Hiſpaniam aduecti ſunt, (quorum alterius pellem ſolùm vidi,) ſed viuere diu non potuerunt. Aiunt hoc animal perpetuum eſſe hoſtem Equi, nec ferre poſſe ut in propinquo ſit. Sic ille, qui iconem etiam eius in Gallica ſua deſcriptione Americæ proponit. Carici Boves Plinio in parte Aſiæ, fœdi viſu, tubere ſuper armos à cervicibus eminente, luxatis cornibus, excellentes in opere narrantur. Idē memorat Scythicos, in quorum dorſo, ſimiliter ut Camelorum, gibber ſit, & eos quoque cùm dorſo clitellæ imponuntur, perinde vt Camelos genu flectere, &c. Quin etiam Syriacis gibber in dorſo eſſe ſcribit, palearia negat. Sed hi omnes māſucti videntur: Theveti verò Bos ferus eſt: quem idcirco Bovem camelitam ferū nominabimus. Legitur autem camelitæ nomen apud Suidam, his verbis: Καμηλίτης βοῦς οὕτω καλούμενος.

Pag.36.verſu 11. poſt hæc verba, animal fuerit, notandus eſt punctus geminus, & addendum: aut fortè Subus Oppiani, qui ſimiliter amphibius eodemq; colore eſt.

Pag.38.verſu 7.poſt hæc verba, caprino tectas, addendum: In Rupicapra etiam paulò antè diximus, Cemadem Æliani, videri poſſe Oppiani Subum.



Coli (vt nos appellavimus ex Strabone) caput cum ſuis cornibus, cuius picturam à generoſo viro Sigiſmundo Libero Barone in Herberſtain, accepi. Ego ſuperiùs (pag. 40.) eiuſdem ferè cornua ſatis rectè quidē picta exhibui, (nam corpus reliquum ex coniectura ad deſcriptionem expreſſum eſt,) quantum imitari meus pictor cornu verum, quod habeo, potuit: flectuntur enim ita in diuerſas partes hæc cornua, vt pictura non ſatis aſſequatur. at ſitum eorum inter ſe, (qui ad Strepſicerotis Caij cornua ferè accedit) & elatam ſublimitatem, non rectè.

In deſertis campis circa Boryſthenem (inquit idem Baro in Commentariis rerum Moſcoviticarum) Tanaim & Rha, eſt Ovis ſylveſtris, quā Poloni Solhac, Moſci, Seigak appellant, magnitudine Capreoli, brevioribus tamen pedibus: cornibus in altum porrectis, quibuſdam circulis notatis: ex quibus Moſci manubria cultellorum tranſparentia faciunt: velociſſimi curſus, & altiſſimorum ſaltuum.

Camelopardalis icon accuratior (quàm exhibita ſit ſuprà pag. 42.) ex charta quadam nuper impreſſa Norimbergæ, ubi hæc etiā verba leguntur: Rarum & admirabile animal, nunquam prius viſum (in Germania) Surnappa nomine, altitudine ad ſummū verticem ſupra quinq; orgyias, corniculis duobus ferrei coloris, pilo læui (& compoſito,) colore pulchro: diligenter & probè depictum

ctum per Melchiorē Luorig Cōstantinopoli, (vbi Turcarum Imperatori hoc animal donatū fuit,) & amico cuidam in Germaniam transmissum, Anno Salutiferi partus MDLIX.

GERMANICE Ein frembd Thier Giraffa genannt / oder Surnappa woll vnd eigentlich conterfeyt.



CERVI Burgundici, seu Subulonis, aut semper Subulonis (de quo scriptum est suprà in Ceruo, paginis 44. & 45. (caput ad sceleton expressum.



GALLICE Brocard in Burgundia. idem quidem nomen Galli cæteri Ceruo communi bimo attribuunt.

GERMAN. Ein Spiß oder Spißhirtz / der von natur ein Spißhirtz ist vnnd bleibt: dann sunst nennet man die zwey-jarigen Hirtzen auch also. wirdt in Burgund gefangen.

ALCES figura accuratior quàm superiùs (pag. 53.) exhibita. Hanc quidem ceu ad viuum pictam Io. Kentmanus & Io. Pontanus, excellentissimi medici, ad me dederunt: nec dissimilem, sed breviore & magis compacto corpore. Anto. Schnebergerus.



Quæ fera Lithwanis (inquit Sigiſmundus Liber Baro) ſua lingua Loſs eſt, eam Germani Ellend, quidam Latinè Alcen vocant: Poloni volūt Onagrum, hoc eſt, Aſinū agreſtem eſſe, non reſpōdente forma. Sectas.n. ungulas habet: quanquam & quę ſolidas haberent, repertæ ſint. ſed id perrarum eſt. Animal eſt altius Ceruo, auribus & naribus prominulis, cornibus à Ceruo nonnihil diuerſis, colore item magis ad albedinem tendente. Curſus eſt velociſſimi: non quo cætera animalia modo, ſed (Equi) gradarij inſtar. Vngulæ, tanquam amuletum, contra morbum caducum geſtari ſolent.

AD QVADRVPEDVM FERORVM ORDINEM II.

DE Pardalide ſeu Leopardo diximus pag. 67, cui hęc addes. Pardalin Perſæ (inquit Scaliger) Barbuct vocant: Leænæ ſimilem pilo ruffo, maculis oblōgis picto, nigris ex transverſo. Faciem habet ſubrubram, nigris variam maculis, & candidis: ventrem album, caudam Leonis. Sunt & quædam dorſo minus fulvo, & maculis minus vegetis. Oculos eis glaucos eſſe ſcit, qui vidit, vt nos.

Pardalis (ſeu Panthera) Oppiano, major & minor eſt. hæc quidem viribus & animo nihil inferior majore. unde apparet Pantheras minores, alias eſſe quàm Pantheres (πάνθηρας) ab eo dictos ſub finem ſecundi de venatione: (vbi eos θῆρας ἀπδανὰς, id eſt, nullius precij vel nullarum virium feras: & χαροπὰς nominans, cum Felibus & Gliribus numerat.) Cæterum ut Thoês, ſic etiam Pantheres duorum generum ſtatuuntur: & forſan Thos minor, Panther minor fuerit: qui & Lycopantheros, Pantherium, & Lupus canarius dicitur.

Leopardi (inquit Io. Leo Africanus) degunt in ſyluis Barbariæ, neque homini, cum robuſti ſint & crudeles, nocent: niſi alicui (quod rarò contingit) in anguſto calle obuij, illi aut cedere non poſſint, aut redarguantur, faſtidioq; afficiantur. in hunc enim irruentes unguibus vultum comprehendunt, tantumq; carnis auferunt, quantum prendunt: & plerunque cerebrum homini perfringunt. Gregem invadere non ſolent: Canibus alioqui infeſtiſſimi, quos occidunt ac deuorant. Monticolæ Conſtantinæ regionis equeſtrem venationem aduerſus illos inſtruunt, exitus viarum occludentes. Leopardus autem hac illac fugiens, dum via equitibus obſeſſa ſe nequaquam euaſurum perſpicit, in crebros flexus gyros cōfodiēdum ſe præbet. At ſi Leopardum effugere contingat, qui incautiùs eam partem obſervauit, conviuium cæteris venatoribus, recepta conſuetudine, præparare tenetur. Sic ille.

Pag. 72. iconem Felis Zibethi dedimus, non ita accuratè expreſſam atque hæc eſt, à doctiſſimo diligentiſſimoq; viro Io Caio ex Anglia ad me miſſa. Alteram quoq;, huic per omnia ſimilem Io. Kentmanus medicus eximius ad me dedit. Zibetti liquorem, umbilico impoſitum vteri ſtrangulationibus mirum in modum mederi, aliiſq; multis remediis pollere aiunt.



Pag.74.Lincis imaginem propoſuimus,non inſcitè factam,capite excepto. quamobrē aliam à Io. Caio mihi communicatam,& probè expreſſam,hîc adiicere volui. Vngues Lynx modò occultat, ut hîc: modò exerit,pro arbitrio, ut cum iraſcitur, pugnat,ſcandit aut ſe retinet,& quidem prælongos, ut illic.



GERMAN. Ein Vntz/ iſt ein Luchß oder Luchſen art.

Lyncum genera duo ſolus Oppianus facit(lib.3.De venatione) majus & minus. Lynces parvæ (inquit) Lepores venantur:majores verò in Ceruos atq; Oryges facilè inſiliunt. Ambæ corporis figura ſimiles:& ſimiliter oculi utriuſq; ſuauiter fulgent,&c.



NOVI Orbis regionem quandam Gigantes dicti (lingua ipſorum Patagones) incolunt. & quoniam cœlo non admodum calido fruuntur, veſtiunt ſe pellibus animantis illius,quam Su appellant, id eſt,aquam. ab eo nimirum,quòd magna ex parte circa fluuios degat. Eſt autem omnino rapax hæc fera, & formæ monſtroſæ, qualem hic exhibeo. Cum à venatoribus vrgetur, ſuæ pellis gratia, catulos ſuos in dorſum admiſſos cauda ampla longaq; tegit, & fuga elabitur. Itaque dolo ſcrobe effoſſa, & frondibus obtecta,vnà cum catulis capitur.Cum autem ita incluſam ſe videt, rabie quadam ſuos catulos obtruncat & occidit: & clamore horribili ipſos etiam venatores terret: à quibus tandem ſagittis confoſſa excoriatur, Andreas Theuetus cap.56.Deſcriptionis Americæ.

GERMAN. Ein wild/vnd gantz raubig Thier in America/oder Newen India/Su genant/das iſt Waſſer:dann es gern bey dem Waſſer wohnet.

AD ORDINEM IV.

De Quadrupedibus Feris minimis,

ASPREOLUM in Germanicis commentariis lego:& quid legam, neſcio, Scaliger. Ego Sciurum Ponticum,ſiue Varium eſſe conijcio.Quoniam Sigiſmundus Liber Baro in Cōmentariis rerum Moſcoviticarum, vbi de pellibus diuerſis è Moſcovia adferri ſolitis mētionem facit,Sciuros Ponticos prætererit,quorū pelles inter præcipuas ſunt, niſi Aſpreolorum nomine eos intelligamus. Aſpreolorum pelliculæ(inquit)ex diverſis partibus adferuntur, &c. ex nonnullis ſemper decem numero colligatæ,quarum in ſingulis faſciculis duæ ſunt optimæ, quas Litzſchna appellant. tres aliquanto deteriores, quas Craſna vocant:quatuor,quas Pocraſna: & ultima Moloiſchna dicta,omnium viliſſima. Harum ſingulæ una aut duabus dengis emuntur. Meliores & ſelectas in Germaniam & aliò mercatores magno ſuo commodo portant. Sic ille. Aſpreoli quidem nomen,ad Pirolum vel Spiriolum(ſic enim barbari quidem ſcriptores Sciurum vocant) accedit.

FINIS.

INDICES NOMINVM OMNE GENVS QVADRVPEDVM IN DIVERSIS LINGVIS I. LATINORVM. II. GRÆCORVM. III. ITALICORVM. IIII. HISPANICORVM. V. GALLICORVM. VI. GERMANICORVM. VII. ANGLICORVM. VIII. Illyricorum. IX. Hebraicorum, Arabic. X. Æthiopic. Indic. Punic. Persicorum, Phrygum, Turcicorum, Americæ.

Latina & Græca quædam Quadrupedum nomina: & Barbara etiam Latinis terminationibus prolata aliquot.

GRÆCA VETERA ET recentiora: quibus R. literam addidimus. Veterum quidem multa Latinis characteribus scripta Latinis permixta sunt.

λεόπαρδος

Index.

Index.

Index.

ANGLICA ET Scotica.

ILLYRICAE LINguae nomina: quibus etiam Polni, Bohemi, & alii, (Tartari quoq; aliqua ex parte, ni fallor) utuntur.

HEBRAICA, ARABICA & Chaldaica, vel Syrica,

ÆTHIOPICA.

INDICVM.

POENIS VEL *Afris usitata.*

PERSICA.

PHRYGVM ET BI*thynorum vocabulum.*

TVRCICA.

AMERICÆ INCOLIS *usitata, aut aliis Novi orbis.*

FINIS INDICVM.

AMPLISSIMIS HEROIBVS, D. THOMÆ ET D. IOANNI ILLVSTRISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS HENRICI GRAY SVFFOLCHIÆ DVCIS FRATRIBVS,

Conradus Gesnerus Tigurinus S. D. P.

LVCVLENTVS ille virtutum vestrarum, Heroes præstantissimi, splendor à Britannis (ut ille inquit) penitus toto orbe divisis, tanto maris terræque intervallo, ad nos usque diffusus, ut hasce Quadrupedum animantium Icones, omnigenorum Dei & mirabilium operum umbras, Emi-nentiæ vestræ dedicarem, facile mihi persuasit. Siquidem amplissimæ familiæ vestræ divinas planè virtutes & regia ornamenta, quibus illa jam inde à majoribus magnifice tanquam hæreditaria successione, animi corporumque & fortunæ bonis resplendet, nemo non bonus & egregius vir, qui semel cognoverit, laudare, & in donis suis Dominum Deum prædicare pergit. Neque verò id mirum: in hac enim nunc frater vester illustrissimus Suffolchiæ dux, vir nunquam satis laudatus, instar Solis inter minora sydera elucescit. Qui non ipse tantum omnibus boni & felicis Principis laudibus gloriaque absolutus est: sed plerique omnes qui in ejus aula & familia vivunt (plurimi quidem illi & nobiles viri) virtutum optimi Principis æmuli, in bonarum literarum ac pietatis studio tum sponte sua, tum doctrina & pietate præstantium virorum, præcipuè verò Iacobi Haddoni, Thomæ Hardingi, & Io. Ælmeri concionibus exhortationibusque, subinde exercentur. Quid dicam de filiabus Principis, Ioanna Catharina? quæ ut præcipuis sui sexus ornamentis pudicitia ac modestia insignes, ita supra sexus conditionem doctrina rerum linguarumque cultiorum Latinæ & Græcæ, & (quod præcipuum est) divino syncerae veterisque religionis Christianæ studio instructæ excellunt. Has quidem ut Deus omnipotens, pulcherrimum humano generi propositum exemplar, quàm diutissime pro sua ineffabili benignitate incolumes conservet, ac in illustre fastigium, vbi quàm plurimos ad felicem sui imitationem movere, & ad vitæ sanctimoniam Christiq; nostri gloriam promovere & allicere velint ac possint, maturè evehat, toto equidem pectore optô & oro. Iam verò de vestris laudibus, inclyti viri, quæ non paucæ in vobis Dei liberalissimi munere conspicuæ sunt, longior mihi instituenda erat oratio: quam ego, tenuitatis in dicendo meæ conscius mihi, illis relinquere, qui propius vos vestraque omnia perspecta habent, quàm pauca forsitan & minora duntaxat afferendo multa magnaque præterire, posteris tradendam malui. Hoc unum dicam, magna apud nos per homines fide dignos de vestro in veram pietatem bonasque artes & literas studio, ac homines earum studiosos favore, præconia jam in plurimorum animis certa confirmataque esse. His accedit mirifica cum prudentiæ vestræ in rebus domi ac in pace Regni gerendis, tum foris & in bello circa rem militarem peritiæ ac fortitudinis, ut multis hactenus periculis declarastis, laus & prædicatio. Quibus in vobis divinitus collocatis bonis ut Anglia vestra diu & prosperè fruatur faxit Deus opt. maximus. Hæc ita se habere cum mecum æstimarem, animi vestri celsitudine fretus, has Animalium picturas sub nominis vestri patrocinio ædere non dubitavi. Quanquam enim insula vestra, viros multos incomparabilis doctrinæ subinde producat: spero tamen magnum & excelsum animum vestrum nullis locorum finibus includi aut cohiberi posse, quò minùs se qualis quantusque sit erga exteros etiam declaret: idque divina quadam Dei omnium patris imitatione, qui beneficentiam, ita ut Sol suam lucem, æquè in omnes partitur. Accipite igitur, magnanimi viri, hoc ceu anathema virtutum vestrarum veluti templo consecratum, in quo per otium aliquando varias & admirandas Animalium species contemplemini: ex qua contemplatione tum oblectemini obiter, tum in meditationem Dei omnium opificis (per quem est, movetur & vivit quicquid in rerum natura extat, suo quodque modo & quodam divinitatis vestigio) animis provehamini. Spectabitis hîc velut in theatro bestias, non vulgares tantum, quarum si non raritas, pictura saltem delectabit, ars semper liberalis & nobilis judicata: sed peregrinas etiam, quas vel Asia, vel mirabilium ferarum mater Africa, vel ad extremam meridiem remotus orbis novus, vel ad ultimum Septentrionem diversæ regiones alunt. Spero autem non pictoribus tantum aliisque artificibus, qui rerum imagines quoquo modo exprimere conantur, propter artem cuique suam, sed aliis etiam plerisque propter voluptatem quam rerum naturæ admiratio parit, institutum hoc nostrum approbatum iri. Nam licet eædem ferè imagines in magnis Voluminibus nostris, cum prolixis singulorum descriptionibus reperiantur: jucundius tamen & commodius pro multorum conditione fore visum est, si separatim æderentur: & vobis quoque non ingratum, quibus propter gravissima Reipub. negotia, magna Volumina versare non vacat. Valete. Tiguri in Helvetia, Anno redempti orbis M. D. LIII. quinto Calendas Augusti.

Hanc epistolam cur hîc in voluminis calce posuerim, in Præfatione ad Serenissimam Angliæ Reginam exposui.